DISPUTATIO JURIDICA DE JURE NAVIUM,

QVAM

FAVENTE DIVINO NUMINE

CONSENSU ET AUTORITATE

MAGNIFICI, VENERANDÆ FACULTATIS JURIDICÆ SENATUS, IN ILLUSTRI ET CELEBERRIMA ACADEMIA BRANDENBURGICA,

PRÆSIDE

DN. SAMUELE STRYKIO,
J.U. DOCT. ET NOVELLARUM PROFESSORE PUBLICO DIGNISSIMO,

publico Eruditorum Examini ſubjicit

IN AUGUSTO JCTORUM COLLEGIO

BALTHASARUS GOTHOFRED. Kramer,
SERVESTA-ANHALTINUS.

Aut. & Reſpond.

AD DIEM 2. MAJI ANNO SALUTIS REPARATAE.
M. DC. LXVIII.

Cum Privilegio

Denuo edita MDCCXVIII.

V. I. D. XI.

Sumptibus Jeremiæ Schrey;

N.

PRÆFATIO.

SI omnibus hoc naturâ incumbit, ut ea potiſſimum ſtudia addiſcant, quæ aliquando viris factis utilia ac honorifica ſunt futura; certè tempus non inutiliter terunt ii, qui totam curam in Mercaturam intendunt, quâ ſine vix eſt, ut ſocietas civilis queat ſubſiſtere, teſtibus locupletiſſimis Xenophonte, & ſummæ prudentiæ atq; autoritatis Platone, referente *Calliſtrato in l. 2. ff. de Nund.* Quantum enim commodi ex eâ redundet ad Rempublicam, in propatulo eſt. Quicquid natura cuilibet terræ invidit, negotiatione compenſatur. Ex eâ quoque homines multarum, & maximarum rerum uſum & experientiam percipiunt. Imò Baldus *in l. Maced. in fin. C. ad SC. Macedon. & conſilio 348. facta fuerunt n. 4. volum. 1.* affirmare non dubitavit: *Mercatorum, & campſorum maſſam ſummum bonum eſſe, & quintum elementum.* Hinc Cicero 1. *off. Mercatura*, inquit, *ſi magna & copioſa multa undiq; apportans, multisq; ſine vanitate impertiens, non eſt vituperanda; atq; etiamſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, ut ſæpe ex alto in portum, ex portu ipſo in agros, poſſeſſionesq; contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari.* Sic Sen. *lib.* 4. de benef. *c.* 12. *Mercatura urbibus prodeſt, ut Medicus ægroto, mango venalibus.* Sciunt, qui antiquitatem ſciunt, veterum opulentiam, ſi ad centum millia aſcenderit, maximi habitam fuiſſe, ſed Amſterodami auri milliones plebejâ teruntur linguâ. Inde calent artes Opificum, uberior eſt quæſtus pauperum, efflorescunt honeſtiſſimarum diſciplinarum ſtudia, ubi Mercatura viget, ac fervet, cum unusquisq; non vile laboris ſui pretiũ accipiat. Et enim nihil à quoquam expetitur, niſi cujꝰ fru-

&c9 ante providerit. Nec ſcientia gratuitò contingit. Omittuntur curæ familiares, ut eò impenſius quis in Rempublicam incumbat. Sublatis igitur ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia peritura ſunt, ut minus decora, ſunt verba *Suilii & Coſſutiani* apud Tacitum *lib.* 11. *annal. c.* 2. Porro cum ob bene merita tantum nodo honores in Republicâ decernantur, ſuapte ſponte profluit, Mercatoribus præmia, & honores patere, Joh. Marq. *de jure Mercat. lib.* 3. *c.* 6, *n.* 75. Nam etſi non animi, tamen fortunæ dotibus Rempubl. adjuvare poſſunt, maximè tempore belli, ubi exhauſto ærario pecunia in commune conferenda eſt, tributa ſtudio concivium facultatibus lapſorum inferunt, ſine quibus bellum geri nequit. Sic *Petilium Cerialem Treveros ac Lingonas* inter cætera ita alloquentem introducit Tacitus *hiſt. lib.* 4, *c.* 17. *Neque quies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Et expedit Reipubl. ſubditos habere locupletes §. *fin. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel alien. jur.* Quid? quod Leoni Belgico tanta felicitas ab inſtitutâ commercii Societate provenit, ut omnibus, & quidem potentiſſimis Monarchis terrorem incuſſerit, cui nulla alia in tam anguſtâ terræ capacitate in tota terrarum Machina reſpondet. Cum vero commercia ſine navigatione exerceri haud poſſint *l.* 1. *ff. de exercit. Action.* quæ non modo utilis, ſed & ſummè neceſſaria eſt, & ad multiplices res facilius, minorique impenſâ transferenda maximè conveniens. Quare mercator.

\- - *Mox reficit rates* (Horat. 1. *od.* 1.)

Quaſſas indocilis pauperiem pati.

Ideo in præſens de Navibus materiam ſolum exercendi *ingenii* cauſâ colligere, & quæ de iis in jure noſtro ſancita videmus, exponere, eſt animus. Cum autem res tenuiſſimi mei ingenii vires longius egrediatur, & jus iſtud ſatis difficile ſit, ſiquidem Nautæ ſunt homines ſæpe improbiſſimi, inde controverſiæ, atque ex controverſiis, ut in aliis rebus omnibus uſu venit, lites oriuntur graviſſimæ: Ideo præciſâ longiori verborum ambage propoſitum, Chriſto Duce & auſpice, quo omnes poſſumus ſuperare difficultates *l.* 2. *in pr. C. de Off. Præf. Præt. Aphr.* aggredior.

CAPUT

CAPUT I.

De navibus in genere.

SUMMARIA.

1. *Præfamen.*
2. Navis *etymologia.*
3. *Definitionis partes.*
4. *Navis descriptio.*
5. *Navis descriptio specialior.*
6 *Distinctio navium.*
7. *Navium utilitas in mercatura conspicitur.*
8. *Ubivis, potissimùm tamen in Belgio.*
9. *Hinc immensæ Belgii divitiæ.*
10. *Hinc splendor & opes Amsterodami.*
11. *Mercatores tempore nundinarum conveniri aut arrestari nequeunt.*
12. *Tàm quoad res, quàm personas.*
13. *Ratio, favor mercaturæ.*

INitium hujus exercitii facturus de Navibus, quarum sanè materia diffusa, & admodum utilis ex Disputatione ipsâ apparebit, non opus fore existimavi, omnia, quæ circa Naves versantur, earumque vocabula, & Nautarum officia percensere, nonnulla autem enumerare, de quibus in jure nostro fit mentio, non abs re erit. 1

Descendere verbum Navis à No verbo, quod est nato, quidam ajunt, alii deducunt à græco ναῦς quod à ναάω sive νάνω, quod est, fluo. Straccha *de Spon. p. 4, c. 10. n. 3.* Quicquid verò ejus sit, illud Philologorum Jure relinquimus judicio. 2

Cum autem definitio pro sui naturâ demonstret essentialia rei definitæ, secundum Baldum *in l. 1 ff de usufr.* Proinde constare debeat ex genere, & differentia, ut Bartolus inquit *in l. 1. ff. de testam,* & cum suo definito, ut bona sit, converti debeat *l. 1. §. dolum 2. ff. de dolo.* Ideoque omnis definitio in jure civili est periculosa, sic ut facilè subverti possit *l. 202. ff. de Reg. Jur.* Joh. Marquard. *de jure mercat. lib. 2. c. 8. n. 88.* Quare si definire non potero, saltem describere, quid sit navis, cona- 3

4 conabor E pro declaratione notandum eſt quod navis in genere ſumatur pro qualibet fabricâ, quá flumen, ubi magnitudo fluminis transeuntibus impedimento eſt, trajicitur, idque probatur *ex tit.* C. *de navibus non excuſand. & l. fin. ff. de fundo inſtruct.* Straccha *de Navibus part. 1. n. 5.* Sive marina ſive fluviatilis, ſive in aliquo ſtagno naviget, ſive ſchedia ſit *l. 1.* §. 6. *ff. de exercit. action.* Straccha vero hic legit Synedria, quæ genus navis ſit ſpatiandi causá facta, in quâ ſedilia ſint. Poteſt etiam
5 conſiderari ſpecialiter, in quâ ſignificatione deſcribi poteſt, quod ſit ordinata compages ſtabilis, & firma junctûrisque aquam excludentibus ſpiſſa, & ad ferendum incurſum Maris ſolida, gubernaculo parens, velox, & non ſentiens ventum. Peckius *in Comm. l. 4.* §. *cum autem ff. de Leg. Rhod. de jactu* Calvin. *in Lexic. Jurid. Voc Navis.*

6 Quædam marinarum navium, quæ & maritimæ vocantur *L. 5.* §. *5. ff. de Jur. immunit.* dicuntur onerariæ: quædam ἐπιβατηγοὶ ſive vectorum ductrices per *l. 1.* §. *12. ff. de exerc. act. l. 2. ff. de captiv.* Navis oneraria eſt, quæ oneri ferendo parata eſt, quæ non remis, ſed velis adminiſtratur. Earum mentio fit apud Livium *l. XXV, c 27. l. XXVI c. 47. l. XXVIII c. 46.* & alibi paſſim. Sunt etiam illis ſua nomina, ut Galeone, Fregata, Barcha, ſeu Tarchia & deinceps, ad hoc indu ctum eſt, ut certa navis demonſtretur, ne erretur in corpore *arg. l. 7.* §. *2. ff. ſupell. leg & l. 4. ff. de leg 1. vid.* Don. Garſ. Maſtrill. *part 2. dec.* 82. *n. 14.* Ἐπιβατηγοὶ autem, ſeu ſecundum Straccham emphractæ *in tract. de navibus n. 4* ſunt naves tectæ à verbo græco Ἐμφράτ]ω obturo, vectoribus trajiciendis aptæ *l. 1.* §. *12 ff de exerc. act* Inter fluviatiles naves numerantur Actuariæ, quæ contradiſtinguuntur Longis, ſuntque vel Majores vel Minores, quæ aliás vocantur actuariolæ, de quibus Appianus *in punicis.* Hæ ut plurimum à ſcalmorum, & remorum numero nomen accipiunt, ut decem remorum Polyb. *l. c. 73.* Majores propriè actuariæ vocantur Quæ enim, inquit Joh. Scheferus, *Tract de Navium varietate,* plusquàm XVIII. remis impellebantur, non actuariolæ ſed actuariæ dictæ, & propriè loquendo voluptatis cauſa paratæ ſunt *d l. 2. ff. de capt.* Longæ erant vel ſine ordinibus, quæ ſerie ſimplici per utrumque latus diſpoſitos habebant remos L. & plures usque ad centum; dimidiam partem in uno, dimidiam in altero, vel cum ordinibus ut Triremes Liv. *XXI 22* Diod. *l. XIII.* quæ ternis utrinque in altitudine, diſtinctisque ordinibus remorum conſtabant, ut pluribus docet Joſephus Scaliger *animadverſ. in Chron*

Chron Hieron. Unde celebris adhuc eſt damnatio ad triremes ſive galeras, ut nonnulli vocant *Vide* Andr. Knichen *im commient. de Sax. non prov. in verb. ducum c. 5. num. 283. 284.* Prattæum & Calvinum *in lex. jurid. verb. triremes.* Sic Quadriremes, Polyb 1. 47. Quinqueremes Liv. *l. XXI. c. 22.* & Septiremes, vel ſecundum Scheferum Hepteres. Deinde ſunt rates, navigii genus ex rudibus aſſeribus, & trabibus nexum *l. 1. 14. ff: de flum.* quanquam à navibus ſeparentur in *l. 1. §. 4. ff. Nautæ Cap. Strab.* Unde Ratiarius, qui rates ducit *l. 30. ff. de pingn. act.* ut Lintrarii, qui lintrium exercitores appellantur, lintres autem ſunt fluviatiles naves, quæ remis aguntur *d. l. 1. §. 4. ff. naut. Caup. Stab.* Adde Stlatam ein breitflach Schiff navigii genus à latitudine ſic appellatum à veteribus, qui verbo ab L. incipienti St præponebant. Erant & codicariæ naves, quæ & caudicariæ, quæ è caudicibus i. e. lignis crasſioribus factæ ſint. Blochſchiff quo nomine appellatæ, quæ per Tiberim commeatus ſubvehebant. Sunt & ex navium genere Dromones, navigia celerrima, quaſi curſoria à Juſtiniano vocantur in *l. 2. C. de offic. præf. Prat. Afric.* quas Celoces Latini appellant à celeritate, ut teſtatur Petr. Nonius. *Milites,* inquit Juſtinianus, *conſtituas, qui poſſint & ipſum trajectum ſervare, & omnia, quæcunque in partibus Hiſpaniæ. vel Galliæ, ſive Francorum aguntur, viro ſpectabili Duci denunciare: in quo trajectu etiam Dromones, quantos provideris, ordinari facias,* Dromoni contrarius Muſculus, curtum navigii genus Gothofred. *ad l. 2.* Ejusdem (ſc. Dromonis) generis ſunt Pontones de quibus Paulus in *l. ult. ff. de Serv. ruſt. & Cæſar. lib 3. de bello civili.* Calvinus *in lexic. jurid. voc. navis.* Hiſce adjunge luſorias in Danubio prohibendis Barbarorum incurſibus idoneas *l. 4. C. de offic. Mag. offic.* Quæ vox reſtituenda pro eo, quod hodie habetur *Clauſurarum,* ſicut hoc haud obſcurè colligitur ex conſtitutione Impp. Honorii & Theodoſii, quæ habetur in *L. Un. C. Theodoſ. de Luſoriis Danuvii.*

Quantum Mercatura auxilio Navium promoveatur, liquet, quæ antea tantum in partibus terrenis exercebatur, nunc autem o- 7
mnis Orbis impletus eſt. Per quas in nullo terrarum angulo æquè, ac in fœderato Belgio viget ac fervet. Opes hinc in immenſum au- 8
ctæ. Unde ſplendor ille Amſterodamo obvenit, à multifariis nempe in *Indias,* & alias mundi partes ſecundis navigationibus. Non omnia 9
complexus fuero, ſi dixero, quicquid ingenium, & natura nobile produxit, quicquid delitiæ excogitarunt, quicquid longè patens Ocea-

nus

nus fert, omne illud pulcherrimæ urbis Mœnibus concludi, orbem in urbe dixeris, ſi domum Indicam perluſtraveris illic Croci, piperis, cariophillorum, cinnamomi, omnium denique aromatum ſpecies, tanquam congeſtos aggeres miraberis. Ad quam felicitatem profectò non aſcendiſſet, ſine re nauticâ, cum ad ſummam Reipublicæ pertineat Navium exercitio, ut JCtus inquit in *l. 1. §. 20. ff. de exercit. action.* Porro ut nullus nundinator tempore nundinarum propter debitum civile, & privatum conveniri, aut detineri poteſt, vel arreſtari, *l. unic. C. de nund.* quod generale tam quoad perſonas quàm res tradit Coler. *de proceſſ. execut. p. 2. c. 3. n. 156.* Idque ideo, quo merces majori copiâ invehantur, & Mercatores in exercendis commerciis non impediantur. Petrus Peckius *de jure ſiſtendi c. 7. num. 3. & 10. num. 7.* Berlich. *part. 1. concl. 53. n. 2. Magnif.* Dn. Brunnem. *Præceptor meus devenerandus ad l. unic. C. de nund. & repet. Weſenb. quæſt. 2. d. t.* Ita ad tuendam navigationem, ſive rem nauticam, etiam jus ſpeciale conſtitutum eſt, quod circa Statum, Dominium, Debitum, & Delictum nauticum verſatur.

CAPUT II.
De ſtatu Nautico.

SUMMARIA.

1. *Status nauticus quid ſit?*
2. *In ſtatu nautico ſummus eſt Princeps.*
3. *An mare* proprietatis capax *ſit? aff.*
4. *Ratio dubit. Prima.*
5. *Reſponſio ad eam.*
6. *Ratio dubit. Secunda.*
7. *Reſp. ad eam.*
8. *Rat. dub. Tertia cum reſponſ.*
9. *Dominium maris arguit injectio annuli annua apud Venetos.*
10. *Origo quæ ſit iſtius injectionis ſolennis?*
11. *Præfectus Maris vel Claſſis ſub Imperatore, in re navali conſtituitur.*
12. *Ejus Jurisdictio.*
13. *Inducias inire poteſt.*
14. *Trierarchi & Navarchi quinam?*
15. *An ſubditi innocentes hoſtium poſſint bonis ſpoliari? Aff.*
16. *Probatur rationibus.*
17. *Et legibus.*
18. *Capta in bello cuinam cedant?*
19. *Res quoque ſacræ, religioſæ & publicæ capientium fiunt.*
20. *In conflictu navali fraudes virtuti miſcentur.*
21. *An Princeps paciſcendo damna tempore belli ſubditis illata remittere poſſit?*
22. *Negantium fundamenta.*
23. *Affirmantium fundamenta.*

24. *An compensatio necessaria? N.*
25. *Limitatur.*
26. *Præfectus portûs describitur.*
27. *Quis sit Dominus navis & quis Exercitor?*
28. *Nobilibus mercaturâ lucrativa interdictum est.*
29. *Ratio(1.)ne avocentur ab offic. milit.*
30. *Quod ostenditur exemplô Johannitarum.*
31. *Ratio (2) Ut facilius sit emend. vendendique commercium.*
32. *Limitationes duæ Juris antea dicti.*
33 *Quando Principes mercaturam politicam facere possint?*
34. *Nobiles etiam per alios mercaturam exercere prohibentur.*
35. *Quid sit Institor, quid Magister?*
36. *Gubernator, Proreta, Navicularius, navium custos & dietarius describuntur.*
37. *Quid sit dieta.*
38. *Nauta, Mesonauta & nautipibata describuntur.*
39. *De collegio navicularium nonnulla.*
0. *Præcipuum coll. navic. erat in insula Rhodia.*
41. *Inde verò Invidia Saracenorum Jus nauticum aliò traxit.*
42. *Et quidem in oppidum Wißbur.*
43. *Tandem Jus hoc Lubeca tenere cœpit*
44. *In collegio navicularium concurrunt omnia collegium demonstrantia.*
45. *Decidit illud controversias nauticas.*
46. *Collegium Syndico indiget.*
47. *An hic nomine collegii jurare possit? Pro aff. arg. adducuntur.*
48. *Sed negativa prævalet.*
49: *Ratio.*
50. *In praxi recepta est hæc sententia.*
51. *Quam Carpzov. ad juram. quoq; calumniæ extendit.*

DIcitur Status Nauticus Conditio eorum, ad quos res nautica, sive publica, sive privata spectat. In illâ summus est Princeps, 1
cujus Nutu publicæ Naves reguntur, per quas suam jurisdictionem 2
in littora & maria exercet, se defendendo contra turbantes, propulsando eos, qui non mercandi causâ, sed eorum usum impediendi maria ingrediuntur. Namque natura maris proprietati non repugnat, ut multis locis evincitur, licet dissentiat Zœsius *de rer divis.* 3
num. 3. Grotius *de mar. lib. c. 5.* & Vinnius *ad §. 1. Inst. de rer. divis. n. 4.* Quanquam enim hi ipsi naturalem rationem huic occupationi repugnare velint, dum vastissima maris magnitudo omnibus hominibus sufficere poterat, ut inde ab uno alterove commodè occupari nequeat; Insuperque subjectum habile ad possessionem hic deficiat, dum flu-

ctibus imperare nemo poteſt, nec terminos in ipſo mari conſtitue
re: Non tamen hæc ipſa ſatis valida pro contraria opinione ſun
5 argumenta. Nam nec vaſtisſima Regna occupari potuiſſent, ſi ill
ratio quadraret ubivis, quod pluribus hominibus talia regna ſuffice
re potuiſſent. Sed dixeris forſan, multum intereſt, an de tractu
terræ quæram, an de vaſtisſimo pelago. Aſt parum intererit, ſi ra-
tionem oppoſitam attendas, quia & in terrâ æqualis ſufficientia in
gratiam omnium hominum à naturâ conſtituta, occupari tamen po-
tuit. Nec vaſtitas Oceani ſola refragabitur: Fateor quidem eandem
haud facilè actualem occupationem admiſſuram. Si idem de terrâ
inſtantiæ loco dixero, hæc enim etiam ab uno poſſideri non pote-
rit, ut taceam varia terræ loca dari, quæ adhuc hodie pro incultis,
& nondum poſſeſſis reputantur; Inde tamen malè infertur, ergo
terra poſſeſſionis incapax eſt, quod ad mare quoque facili negotio
6 applicatur. Nec ulterius obſtabit terminorum finalium defectus, qui
in mari conſtitui non poſſunt, ut ea propter quantum cujusque ſit,
7 non pateat Nam nec hoc adeo ſtringit, Terminos enim in mari
poſſe conſtitui, & jam aliquos conſtitutos eſſe, nautis, & Geogra-
phis notiſſimum eſt, nunquam enim ad portum pervenirent nautæ,
ſi quo loco maris ſint, non ſciverint exactè. Patet hoc ex accura-
tiſſimis illis Hydrographiis, quarum Hiſpania, Anglia, & Hollandia
pene multas novit, ubi quævis marium loca manifeſtò ſatis videbis
diſtincta. Caterum quibus remediis limites in mari coſtitui poſſint,
8 Vid. *ap.* Joh. Seldenum *de Mari clauſo c. 22.* De Jure Juſtinianeo contra-
ria ſententia probabilior videtur (modo fas fuerit controverſias Juris
Gentium inde ut ex infallibili Principio determinaſſe) ubi mare inter
res jure naturali cujusvis uſui expoſitas refertur; Attamen nec eodem
jure Maris naturam repugnare, quo in certis partibus occupari poſſit,
probabile videtur. Probatur id per §. 5. *Inſt. de rer. diviſ.* Ubi uſus litto-
rum, & maris aſſeritur eſſe publicus, nihil autem aliud eſt publicum,
quàm quod populi Romani eſt, id verò, quod occupatum non eſt,
manet nullius, quò collimat Juſtinianus his verbis *Proprieta d.* §. *ad-*
de I. 15 & 16. ff. de verb. ſignif. Et notandum eſt, hic Imperatorem lo-
qui adverſè, dum dicit, mare publicum eſſe, & juris gentium, ad ex-
cludendum publicum jure genitum, quod quâ prorietatem, quâ
uſum eſt populi proprium, non verò quo ejus uſus pro derelicto eſt.
Deinde non daretur conductori maris interdictum, ut conductione

ſuâ

ſua fruatur, ſi omninò proprietatis non capax eſſet *l.* 13. §. *ult. ff. de injuriis l.* 3. *ff. ne quid in loc. publ.* Sic quoniam littora populi Romani ſunt *d. l.* 3. ejusdem juris mare cenſendum, cujus naturam hæc ſeqvuntur §. 1. *Inſt. de rer. diviſ.* & licet maris uſum communem omnibus hominibus eſſe, ut aeris affirmet, tamen eatenus verum eſſe interpretatur, quatenus eo uſus communis nonimpeditur. Ex quo itaque maris uſui modus præfigitur, exinde apparet imperii maritimi ratio, facit *l.* 10. *ff de rer. diviſ. l.* 14. *ff. de injur. l.* 9. *ff. de judic. l.* 51. *ff. contrab. empt. l.* 50. *ff. de acqv. dom.* Ubi Decretum Prætoris intervenire debet, priusquam in mari ædificetur *l.* 9. *ff. de L. Rhod. de jactu conf.* Dn. Struv. *exerc.* 3. *θ.* 79. *& exerc.* 41. *θ.* 30. Strauch. *de imperio maris c.* 2. *l. unic. C. del. Claſſicis & ibidem Magnif.* Dn. Brunnem. Imo Leo Imperator communionem maris ſuſtuliſſevidetur *Nov.* 56. *Auth Navigia C. de furt.* Inde Dux Venetus quotannis in Feſto Aſcenſionis Chriſti duo illa caſtella ad ingreſſum, ſinus ſibi invicem oppoſita prætervectus Bucentauro, annulum in Mare projicit in argumentum dominationis, quam hac arrha Senatus Venetus ſibi deſpondet. Originem Ceremoniæ referunt ad *A*lexandrum III. Pontificem, cui etiam imperium Maris ſe debere fatentur. Namque bello inter hunc, & M. Othonem Friderici *A*henobarbi filium exorto, Othonis copiæ in agrum *A*lexandri Pontificis effuſæ disjectum ita conſectatæ ſunt, ut ad Venetos perfugere coactus fuerit Pontifex, ubi in Monaſterio Charitaris, qvum aliquandiu ignotus latitaſſet, tandem agnito, multâque ab iis comitate culto, & inde educto non ſolum perfugium, ſed etiam ſubſidium ferre promiſerunt. Congreſſus igitur Otho cum venetis prælio navali funditur, & captus, vectusque Venetias traditur Pontifici. Tunc Duci Venetorum Sebaſtiano Ziano Pontifex annulum digito ſuo detractum obtulit dicens: *Auctoritate meâ hoc annulo fretus Oceanum tibi ſubjicies, & quotannis tibi Poſterisque eo die, quo hanc Victoriam pro eccleſiæ defenſione obtinuiſti, deſponſabis Mare, uti ſciant omnes, maris tibi Dominium conceſſum, quia ſedis Apoſtolicæ tuendæ curam & ſtudium feliciter ſuſcepiſti. Sit hoc tibi quaſi pignus benedictionis, & ſecundæ ſortis in futurum.* Narrat hæc Villamontanus *lib.* 1. *peregrin ſuâ C.* 34. quem citat Henr. Kornman. *tract de triplici annulo part.* 2. *n.* 13. 9 10

Sub principe creantur Magiſtratus maritimi, quos Claſſibus vel claſſicis copiis præficit. Sic diviſo in Orientem, & Occidentem impe- 11

rio, Præfectus Prætorio Orientis XI. classibus Orientis præerat. In occidente sub Præfecto Prætorio Italiæ erant Classis Veneta, Ravennas, Comensis, Misenas, Viennensis, Bracaria, Masiliensis, Rarica, Anderetiana, vide Onuph. Panv. *descript. Imp. R. l. 3. fol. 418.* eorum dignitas eandem cum Imperatoribus Exercituum terrestrium rationem habet. Ut enim inferiores peditum, equitumqve Præfecti uni Imperatori, sic Trietarchi, & Navarchi omnes Præfecto Maris vel Classis, qui Archicubernus, utpote omnium Gubernatorum primus *l. 46. ff. ad Sc. Trebell.* hodie peregrinâ voce in latinam terminationem deflexâ *Admiralius vel Thalassiarchus*, insignitur, parent; De cujus vocis derivatione *Vid.* Wissenbach *Vol. 1. Disq. 28. ad ff. th. 9. in fin.*

12 Hujus Jurisdictio ad causas Maritimas, vel quæ intra territorium maritimum contingunt, extenditur, prout sublimissimã Præfecturam obtinet *l. 1. C. de præpositi. sacri Cubiculi*, ut minimè dubitandum sit, latum arbitrium super bellum habere, classiariis, ut vitam periculis exponant, jubere, eos punire, & absque Processu more belli, & more turbæ causam celeriter examinare, litesque sine strepitu, & figurâ Judicii dirimere posse: Idqve colligere est ex terrestribus Imperatoribus, quibus summa rerum ac Judiciorum cura committitur. Hortensius Cavalcanus *tractatu de Brachio regio part. 1. num. 278.* Quid quod ejus Potestas olim ferè absoluta fuit, sicut fertur Annibal M. cum Philippo Macedoniæ Rege de rebus maritimis fœdus iciisse, nullâ Senatus, populique Chartaginensium factâ mentione. Simile quid recenset Livius *de Hieronymo Siculorum Rege l. XXIV.*

13 Inducias tamen breves, cum pertineant ad bellum administrandum, non conficiendum, cum hostibus paciscí injussu Principis possunt, dummodo Ducis solertis & ingenioli officio fungantur, actusque ad utilitatem Superioris redundet. Nam non tantum ea dicuntur concedi, quæ in causis singulis conceduntur, sed etiam, quæ sub nomine officii veniunt. Siquidem bello sunt sua commercia, sine quibus non solum feliciter non geri, sed nec omninò geri potest. Deinde arbitrio Ducis relinquendum est præliandi tempus, sæpe hostis ingruit, & necessitatem pugnæ affert; ideoque hostis impetum, si comprimere non valet, retardare induciis factis, aut aliâ ratione necesse habet, nisi se præsentissimo periculo objectare malit. Ex re ergo fuerit, quietem sibi conciliare, ut deinceps vires augere, aut resumere possit. Eleganter *apud* Tacitum *l. 3. histor. c. 20. Antonius summa*

rerum præfectus inquit: *Divisa inter exercitum, ducesque munia, militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo, consultando, cunctatione sæpius quam temeritate prodesse,* Quod si singula cognoscere velit Princeps, quæ ab Imperatoribus fiant, non solum incautos futuri reddet Duces, sed etiam sæpe occasio pugnandi præripitur. Dn. Strauch. *de induciis c. 2. n. 3.*

Archicuberno associantur Trierarchi, qui Triremibus præficiun- 14
tur, & Navarchi, quos vulgus *Capitaneum, aut caput armatæ marinæ Navis* vocat, singulis in Classe Navibus præsunt. Peckius *comment. lib. 1. n. 1. C. de Navicul. lib. 11.* Quibus licentiam paciscendi cum hostibus inducias etiam Dn. Strauch *d. l. §. 5:* artribuit, si summa Potestas separatim ab exercitu certas in bello partes eorum fidei commisit, quas tamen Pares servare non obstringuntur, sed æquè ac si induciæ non essent pactæ, hostilia facere possunt.

Unde in illud inquirerere operæ pretium est, an licitum sit inno- 15
centes hostium subditos deprædari? Quod affirmamus, quia bellum 16
geritur, ut quæratur Pax, quam difficulter obtinebis, si milites prædam facere supersedeant, neque sese avidos diruendarum civitatum munitarum, quæ sunt semina belli, præstent. Sic *Transrhenanis gentibus invisa civitas Agrippinensis erat, opulentiâ actuqve. Neque alium finem belli rebantur, qvam si promiscua ea sedes omnibus Germanis foret; aut disjecta, Ubios quoq; dispersisset.* Tacitus *histor. lib. 4. c. 15.* Et aurum, opesque præcipuas bellorum causas esse ipse fatetur *Cerialis* inter duces exercitus assumtus *apud* Tacitum *hist. lib. 4. c. 17.* Deinde hisce tantum Militum vulnera, exantlati labores quos impenderunt, & belli onera pensantur. *can. dicat aliquis c. 23. q. 5.* Ideoque universum *Flaviani* Exercitus robur etiam inumbrante vespera pergere Cremonam, & victos in deditionem accipere, aut expugnare deposcit, namque arbitrabantur, *si lucem operiantur, jam pacem, jam preces, & pro labore, ac vulneribus, clementiam ac gloriam inania laturos, sed opes Cremonensium, in sinu Præfectorum, legatorumque fore. Expugnatæ urbis madam ad militem, deditæ, ad Duces pertinere,* sunt Taciti verba *Hist. libr. 3. c. 4* Ut hac viâ coerceatur improbitas hostis, & discat se melius habere. Si enim privatim vim vi repellere licet ex jure naturæ, quidni & publicè per bellum? Nobis etiam leges subscribunt, ut sunt *l. 5 §. ult. ff.* 17
de A. R. D. §. 17. Inst. de rer. divis. l. 36 C. de donat. Treutl *vol. 2. disp 20. th. 2. lit. D.* ubi traditur, ea, quæ ex hostibus capta fuerint, jure gentium

tium ſtatim capientium fieri. Hoſtium enim res jure gentium hoſtibus non alio ſunt loco, quàm quo ſunt res nullius, ac proinde eorum fiunt, qui primi poſſeſſionem earum apprehenderint *l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ* ſive per ſe ſive per alios. Non tantum enim filii familias, & ſervi, ſed & liberi homines ſtatim iis quibus operam ſuam ad venandum, aucupandum, aut piſcandum, locaverunt, ejus, quod ceperunt, poſſeſſionem, & dominium acquirunt *l. 53. ff. de acquir. rer. domin. l. 1. §. 2. ff de acquir vel amitt. poſſ.* Cum quodcunque quis per alium facit, per ſe ipſum facere videatur *l. ſi quis 7. §. ult. ff. de Jurisdict. l. 1. §. 1. ff de eo per quem factum erit, quo minus quis l. 5. §. quod ſi quis ff. de adminiſtr.* Inde tam mobilia, quàm immobi-
18 lia, tam animata quàm inanimata per milites in actu publico capta, cedunt populo, aut principi, cujus auſpiciis bellum geritur per *l. 20. §. 1. ff. de capt. & poſtlim.* Ubi agri ex hoſtibus capti dicuntur publicari *l. 31. ff. de jure fiſci l. 4. §. 1. ff. de ſtat. homin. l. penul. ad L. Jul. Pecul d. c. 23. q. 5.* Dn, D. Brunnem. *in Coll. text. ad d. l. 20. ff. capt. & poſtl.* R. A zu Augſpurg de An. 1500. ſub rupr. Was dem Hauptmann von Brandſchatzung folgen ſoll & traditur in Ordinatione bellicâ Maxim. II. Reuterbeſtallung An 1570. aufgerichtet art 84. & 96. Da auch Städte, Schlöſſer, Flecken, Land und Leute erobert würden, ſollen dieſelbigen, ſambt den darzu gehörigen Geſchütz, Munition, und den Vorrath von Proviant, in allewege Uns, und dem H. Reich zuſtehn, folgen, und bleiben. Zu dem ſollen dieſelbigen eroberten/ gehuldigte, auf genommene Stadt, Schlöſſer, Flecken, Land und Leute, nach dem ſie aufgenommen ſeyn, weiters nicht beſchädiget, noch gebrandſchatzet werden, aber alle andere Haab, ſo nach Kriegs-Gebrauch preiß, ſoll ihnen bleiben. Propterea milites ſolum ea acquirunt plenè ac irrevocabiliter, etiam Duce belli non dividente, quæ in actu privato ſub jure belli, & *Auctoritate* publica, vel ejus qvi τὸ κύριον in Republicâ, & jus belli habet, ceperunt. Quod fit vel conceſſione tacitâ; utpote quod non in procinctu, ſed *in* injuſſis excurſionib9. & ſingulari conflictu hoſti abſtulerunt, quia non cenſentur capere ut miniſtri, quod extra actum publicum capiunt, & ita intelligenda *l. 51. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. 12. pr. ff. de capt. & poſtlim.* Vinnius *ad d. §. 17. Inſt. de rer. diviſ.* vel expreſsà, quod in dieptionibus oppidorum, præliis, & expugnationibus à Duce permiſſis, ſua opera, & manu quisque facit proprium Dn. Struv. *exerc. 41.*
19 *th. 18. Grot. de Jur. B. & P. lib. 3. c. 6. n.* 18. Res quoque ſacræ religioſæ &pu-

& publicæ capientium poteſtati,& imperio ſubjiciuntur *l. 36. ff. de religioſ. & ſumpt. l. 4. ff. de ſepulch. violat.* deſinunt enim tales eſſe, res ab hoſtibus occupatæ *d. l. 36.* Nec ſepulchri violati actio intentari poteſt per *d. l. 4.* Berlich. *part. 5. concl. 47. n. 31.* dum abſtineant à vexatione corporis humati Grot. *de I. B. et P. lib. 3. c. c. 5. n. 3.* quia id contra jus eſſet hominum ſepeliendorum, & ne hoſtes quidem ſepulturam invidere legimus apud Tacitum *Annal. lib. 1. c. 6.*

In ipſo conflictu, quando naves inter ſeſe concurrunt, Guber- 20
natores inſtrumenta invicem corrumpunt, navesque deprimere conantur, videmus ſæpenumero fraudes miſceri Virtuti, dum Naves incendiariæ variis ignium alimentis fartæ, ac repletæ, claſſem hoſtilem ſuccenſam Vulcano Neptunoque immolant, & ſæpe ultimâ pernicie ita ſuperant hoſtem, ut omnis recolligendi ſe ſpes præciſa ſit, armaque ſimul deponere, & bellum conficere cogantur. Inde exſur- 21
git quæſtio: An Princeps paciſcendo damna tempore belli ſubditis 22
illata remittere poſſit? Sunt qui negant ob ſequentes leges *l. 2. l. 37. C. de Prec Imperat. offer. l. ult, C. ſi contra jus vel utilitatem publ. l. 4. & 5. ff. de Natalib. reſtituend. l. 5. C. de locat. prædior. Civil.* quibus accedunt *l. 4. C. de legib. l. 16. C. de tranſact. l. ult. Sentent. reſcind. non poſſe. l. 3. C. unde Vi l. 4. C. de emanc. liber. l. 2. §. 10 & 16. ff. ne quid in loc. publ.* His tamen non obſtantibus; cum procedant in terminis habilibus 23
ſc. quando nulla cauſa ſubeſt, aut eorum conſenſus, qui damnificati ſunt, omiſſus, affirmativam ſententiam cum Gailio *lib. 2. obſ. 57. & 2. de pace publ. cap. 19. n. 25. &* Mynſingero *cent. 4. obſ 9. & cent. 5. obſ 97.* amplector ob communem & publicam utilitatem, ſi aliter Pax haberi nequeat, niſi per talem damnorum remiſſionem *text. in c. in noſtra de injuriis in l. 5. ff. de pactis.* Angelus *ibidem in fin.* Fachin *8. contr. 63.* Pinel. *in rubric. C. de reſcind. vendit. c. 2. n. 1.* Treutler. *vol. 1. diſp. 15. th. 8. lit. G.* Mynſ. *Reſpon. 21. n. 65. & ſeqq.* Afflict. *deciſ. 361. n. 4. & ſeqq.* Vaſq. *1. Illuſtr. controv. 5. n. 13. 15. add.* Pereg. *de Jure Fiſci lib. 1. n. 66.* Vinn. *ad §. fin. n. 3. Inſt. de his qui ſui vel alien.* Decius *conſ. 520. n. 4.* Quia ob pacem publicam Princeps remittendo damnum, ſubditorum negotium utiliter geſſiſſe cenſetur *l. 5. §. ult. ff. de injur. l. 51. §. 2. in fin. ff. ad L. Aquil. l. 14. C. de oper. publ.* ſiquidem publicæ utilitati privatam cedere omnes confitentur Grot. *de Jure B. & P. lib. 3. c. 20. n. 7.* & favorem publicum privatæ utilitati præferendum eſſe *textus eſt elegans in C. Imperialis pr. de prohibit. alien per Lothar. l. 3. C. de primipilo l. unic. §. 14.*

§. 14 C. *de caduc. tollend.* §. *quamobrem Novell. 39.* Sic publicæ utilitatis gratia â regulis Juris Comunis receditur, multaque permittuntur, quæ alias sunt interdicta & prohibita *text. in l. 51.* §. *2. verſ. multa ff. ad l. Aquil. text. in c. Abbate* §. *fin. verſ. præſertim de ſentent. & re Jud. in 6. l. Barbarius ff. de Offic. Prætor.* Namque Reipublicæ indoles id efflagitat, ut dominium quoddam habeat eminens in ſingulorum bona ad neceſsitates, aut utilitates publicas. Deinde non removeretur occaſio diſcordiæ, quæ ex litibus, & contentione naſcitur *l. 20. verſ. ſed ſi aliqua ff. de oblig. & action. l. 6.* §. *2. verſ. ſin autem res in fin.* C. *de bonis qvæ liberis:* & ideo ad Officium principis pertinet compeſcere, ne Partes in arma & rixas concirentur *facit text. in l. 13. pr. ff. de Offic. Præſid.* An autem compenſatio debet fieri iis, quibꝰ hac ratione Princeps
24 præjudicavit? Non putarem, quippe generaliter factum eſt per viam legis *A*lex. *in Conſil. 190. maturè digeſtis lib. 2.* Bartol. *in lege toties ff. de poll.* Gail. *2. obſ. 56. n. 18.* & non ſolum jus ſuum extremum ad perſonas ſubditorum, ſed ad omnia quæ ſubditorum ſunt, extendit; non tantum ſubditis imperat: verum bonis quoque eorundem dominatur, præſertim ſi exinde ad integram Remp. redundet utilitas. Aliàs ad æſtimationem rei tenetur, quando particulari perſonæ ſpecialiter jus ſuum
25 abſtulit. Gail. *d. loc: n. 8.*

Hactenus de Statu Nautico publico actum eſt, cui accedit etiam Præfectus Portus, qui in naves, unde veniant, quid vehant, quo
26 tendant, ad quem ſpectent, & ſimilia inquirit *l. unic.* C. *de litt. & itin. cuſtod.* Johann. Marquard *de Jure mercat. lib. 1. c. 15. num. 22.* Sequitur jam ut ad Statum privatum faciamus progreſſum. In quo con-
27 ſiderandi ſunt Domini, & Exercitores Navium. Et Dominus eſt, qui proprietatem, ſive dominium navis habet. Exercitor germanicè der Rheder, ad quem omnes obventiones, & reditus navis perveniunt, ſive ſit Dominus ſive conductor Navis per averſionem i. e. uno pretio & in univerſum conductæ, non pro certo numero rerum, ut colligitur ex *l. fin.* §. *fin ff. ad L. Rhod. de jactu* ad tempus, ſive in perpetuum §. *2. Inſt. quod cum eo qui in alien pot. l. 1.* §. *15. ff. de exerc. act.* Gothof. & Vinnius *ibidem add.* Franciſc, Stypman *c. 15. n. 16. & ſeqq.* Plerumque ſunt plebeiæ conditionis, quibus contemptis literis in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent. Verum Principum, & nobiliorum diverſa ſors eſt, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda, ideo ad mercaturæ exercitium minimè decurrendum, non quod aliquid

quid eorum ordini & Natalium ſplendori detrahatur, ut in hanc ſententiam inclinant Guido Pap. *deciſ. 196. & 391.* Cæpoll. *in tract. de imper. mil. delig. in materia nobilitatis opin. 18.* Chaſſan. *in catalog. glor. mundi part. 8. conſid. 16. & p. 11. conſid. 41.* Tiraquell. *de nobilitate c. 27. & 33.* & Mynſinger. *cent. 6. obſerv. 54.* Sed quod Reipublicæ pernicioſum ſit, dum mercimoniis ſe dantes à Virtutis ſtudio, & Rei- 28
publicæ curâ abſtrahuntur, quibus propterea optima prædia ſolennibus cæremoniis conceſſa, ut pro patriâ, ac religione perpetuò in paleſtrâ bellicâ contra hoſtes Imperii excubarent, & dignitatem opibus ſuſtentarent. In perpetuo enim procinctu ſtare tenentur, ac o- 29
mnibus momentis, ſi neceſſitas Domini id efflagitaverit, militare, germ. Lehn- oder Ritterdienſte thun *1. F. 1. §. notandum eſt 1. F. 5. pr. 2. F. 23. in fin. 55. §. firmiter.* Siquidem Johannitæ, qui olim erant equites Rhodii, ex quâ Inſula Ao. 1523. à Solymmanno Turcarum Tyranno 30
ejecti à Carolo V. Anno 1529. Maltham Inſulam dono acceperunt, unde hodie dicuntur Maltheſii, contra Turcas, piratasque pugnare ſemper debent eſſe parati. Deinde ut inter plebejos, & negotiatores facilius ſit emendi & vendendi commercium. Nobiles enim opibus, & poten- 31
tia pollentes civibus alimenta detrahunt, dum ſibi ſoli mancipando poteſtatem mercandi reddunt difficilem, aut monopolia affectant, & ita tenuioris fortunæ negotiatores multis modis opprimuntur, commerciaque minuuntur. Unde cum Nobilibus contrahendi non adeo frequens eſt occaſio; quippe qvum emptores ab his quid ementes, audacter liceri non præſumant *text. in l. 3. C. de commerc.* & *Mercat. l. 12. §. 3. C. de cohortal. l. nequis C. de diguit.* Bocerus *in tract. de Regalib. c. 2. n. 52.* Bodin *de republ. c. 8.* Peregrin, *vol. 3. concl. 111. num. 6.* Andr. Rauchbar *quæſt. 12. num. 6. part. 2.* Berlich. *deciſ. 31. num. 2.* Quapropter gentium ſecundario jure commerciorum uſus reſtringendus fuit, quo eſſent, qui agriculturæ ſtuderent, neceſſaria importarent, ſuperfluaque exportarent, & patriam tutarentur ab omnibus incurſionibus, quod probè intellexit Rex Poloniæ Sigiſmundus, ut videre eſt apud Keckerman. *lib. 1. Syſtem. polit. c. 14.*

Hinc nobilibus tenuis fortunæ pro ſuſtentandâ familiâ ſuâ 32
mercaturâ Oeconomicâ non interdicitur per *c. quod non eſt licitum de reg. Jur.* Johann. Marquard *de jure Mercator, lib. 1. c. 10. n. 81.* Mynſinger. *cent. 6. obſ. 54. n 10.* quia neceſſitas tollit & frangit leges. Et omnibus in communem uſum fructus ex propriis fundis ubertim per-

ceptos licitum est distrahere, & alienare, quoniam hoc casu palmaria prohibitionis causa cessat, non enim omnis mercatura, sed tantum ea, quæ urbibus perniciosa existit, nobilibus est prohibita per *d. l. 3. C. de commerc. & mercat.* Bocer. *d. loc. num. 53.* emere enim, & vendere est juris gentium §. *jus gentium J. de Jur. N. G. & C.* Bartol. *in l. 1. ff. de contr. empt.* Treutler. *vol. 1. disp. 28. th. 1. lit. D.* Decian. *vol. 4. consil. 44. num. 118.* Zœsius *in C. de contrah. empt.* Servandus quoque haud dubiè est mos, & consuetudo, si aliud induceret Alciat. *in l. merces ff. de verb. signif. & in tract. præsum. Reg. 1. præsum. 48.* quemadmodum apud Venetos, Genuenses, & Italos Nobiles, Principes, & Comites mercaturam exercent, & Hispanos ad negotiandum natos esse te-
33 statur, Conzen. *lib. 8. pol. c. 10. § 9. confer* Tiraquell. *de Nobilitate c. 33. num. 1.* Mynsinger. *d. obs.* Illud quoque admonendi sumus, Principem absque Existimationis jacturâ, & suspicione monopolii aliquarum mercium mercaturam vice Regalium sibi vindicare posse, si (1) Saburra solvendi æris alieni urgeat, & subditi onus contributionis sufferre nequeant, si (2) magna & pretiosa sit adeo, ut privati sumptibus classi instruendæ impendendis, quo tutò naves eant, & redeant, non sufficientes impediantur, si (3.) lucrosa nimis essent commercia, quibus nimium ditescerent subditi, aut (4) tempore caristiæ propriam pariter, cum publicâ augeat utilitatem, puta quando aliunde frumentum coemi, deinceps verò subditis venditum distribui curat. Quanquam præ reliquis iis debetur laus, qui suis subditis pecuniam adnumerant ad juvandam Patriam, partem lucri inde percepturi, uti sentit Petrus Gregor. Tholos. *c. 7. de Republ. vid.* Naurath. *in addit.* Zœs. *ad C de commerc.* & Marquard. *de jure mercat, lib. 1. cap. 10. num. 14. 15. 16. & seqq. & l. 4. cap. 7. per totum.*

34 Cæterùm nec per alios insistere possunt mercibus Nobiles, cum & hoc casu allegatæ in *d. l 3.* rationes fortiter militent, ne opibus & potentiâ suâ commerciorum totam utilitatem ad se trahant. In fraudem enim legis acturi essent, si ipsi per se hanc intermittentes mercaturam, nihilominus per alios illam exercere conarentur *arg. l unic. C. quibus ad conduct. præd. fisci lib. 11. l. 2. §. 1. ff. de administr. rer. ad civ. pertin.* Niellius *disp. feud. 2. th. 6. L. A.* Wehner. *in obs. pract. verb.* durch sich selbsten, oder die seine Bocer. *de reg. d. c. 2. n. 36.* Limnæus *de jure publ. lib. 6. c. 5. num. 75.* Nam quod prohibitum est in termino, id etiam est prohibitum in viâ per *c. cum quid una de reg. Jur. l. fin. C. de rebus alienis non alien.*

Hi

Hi per quos Mercatura exercetur, vocantur vel inſtitor vel 35
Magiſter Navium der Schiffer. Ille præponitur Tabernæ, vel cuilibet alii negotiationi *l. 3 ff. de inſtit. act.* puta rebus emendis, locandis, permutandis, ut declarant exempla *l. 5. eod. tit.* Hunc accipere debemus, cui totius Navis cura mandata eſt, & qui magis, quàm reliqui diligentiam, & ſolicitudinem rebus, quibus præeſt, debet *l. 57. ff. de verb. ſignif.* qui græcè πιστὸς ἀπὸ τῆς πίστεως dicitur, quod ejus fidei committatur cura totius navis, maximè quidem cui ab Exercitore, ſed tamen etiam, cui a Magiſtro propter utilitatem, ignorante exercitore *l. 1. §. 2. ff. naut. caup Stab.* Item ſi ſcit, & patitur eum in navi Magiſterio fungi, ipſe eum impoſuiſſe intelligitur. Sed quid ſi ſic Magiſtrum præpoſuit, ne alium ei liceret præponere, ſcilicet ſi nominatim prohibuit, ne Titio Magiſtro utatur? Et placuit eo usque producendam utilitatem navigantium, ut pro Magiſtro habeatur *l. 1. §. 1. junct. §. 5. ff. de exercit. action.* Vinnius *ad §. 2. Inſt. quod cum eo qui in alien. poteſt.*

Proximæ dignationis Gubernatores nobis erunt, quos binos 36
ſingulis Navibus olim decretos fuiſſe patet ex *l.* 11. *§. 2. ff. de publ. & vectig.* Gubernator audiebat, qui Puppim, Proreta, qui proram regebat höret Roßman *d. l.* 11. *ff. de publ. & vect.* Ad horum officium notitiam Syderum, ventorum, portuum, & locorum maritimorum pertinuiſſe conſtat. De Navicularis & Naucleris crebra fit mentio in *tit. C. de Navicul. lib.* 11, & aliis locis, de quibus *vid.* Bud. *ad l.* 1. *ff. Naut. Caup. Stab.* inquit enim *Navicularii navium ſunt Domini, qui græcè ναύκληροι vocantur, meritorias naves habentes, quos Patronos appellamus.* In *l. 5.* verò *§. 3. ff. de jure immunitatis* ſunt, qui annonæ urbis ſerviunt. Ex imis videmus in navibus, qui cuſtodiæ gratiâ præponuntur navibus, ut ναυφύλακες i. e. navium cuſtodes, & Dietarii, cujus ſub cura erant cubicula, & cœnationes, ubi arcæ, & merces deponuntur *add. l.* 12 *§. 4. ff. de inſtruct legat. l. 43. §. 1. de legat.* 1. *l. 55. §. 3. de legat. 2* Franc. Stypman. *de jur. marit. p. 3 c. 5. n 25.* Dn Struv. *exerc. 8. th.* 110. Dn. Gothofredus *ad d. l. 1. §. 3. ff. N. C. ſtab.* accipit hos pro adminiſtrantibus annonam urbis, Antonius Faber *verò rational. in d. l. §. 3.* mavult interpretari de Miniſtris in diætâ, & loco ipſo, quo victus ſumitur, deſervientibus. Diæta enim eſt cubiculum, ſive cœnacu- 37
lum, in quo vivimus, verſamurque æſtate ad umbram, hyeme ad ſolem aut etiam domuncula in hortis erecta voluptatis causâ *d. l. 43.*

38 §. *3. ff. de legat. 1.* Reliqui Nautæ Schiffgeſellen und Martſen dicuntur, qui navis navigandæ causâ in nave ſunt, veluti Remiges, Meſonauta, quem non mediocrem, aut meliorem nautam, ut ridiculè Accurſius, interpretamur, ſed eum qui medium locum tenet inter ſummos, & imos nautas, quique ex eo loco remigibus præbet ſignum remigandi Dn. Struvius *dict. Exerc. th. 110.* Cujus quoque munus, ut oſtendit Scheferus, tum exhaurire ſentinam, tum anchoram dimittere, levare, & qui in mediâ navi ad omnium imperia, & nutum præſto eſt Ant. Faber *ration. in l. 1. §. 1. ff. naut. caup. Stabul.* Deinde ſunt Nautipibatæ ſeu *ναυτεπιβάται l. 7. ff. d. t.* qui remum pro naulo, & vecturæ pretio ſolvunt, & ſic conſimiles.

39 Priusquam ad dominium Nauticum transgrediar, quædam de Navicularium Collegio addenda ſunt. Et quidem Urbs Romana mercaturam tanti fecit, ut Collegium mercatorum inſtituerit Livio *lib. ab urbe cond. 2.* teſte. Poſtea è Republicâ eſſe intelligens Navium uſum, Collegium Navicularium ſingulari conceſſione non ſolùm permi-
40 ſit & approbavit, *l. 1. pr. ff. quod cujusque univerſ.* Verum etiam tantam prærogativam attribuit, ut in decidendis controverſiis nauticis Inſulam Rhodiam (in quâ præcipuum erat collegium) Antonius Imperator Maris dominam appellaverit, earum cognitione, & dijudicatione à ſe rejectâ, eique communicatâ *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* Profectò hæc Inſula legum præſtantiâ & navalis rei peritiâ adeò valuit, ut multum diuque in imperio eſſet.

41 Verum inſitum & innatum Mortalibus, aliorum felicitatem ægris oculis aſpicere. Sic invidia & habendi cupido in arma movit Saracenos contra iſtam Inſulam, & non amplius navigiis freqventari
42 impedimento fuerunt. Exinde jus Nauticum in oppidum cujusdam Inſulæ Gottlandiæ tum temporis commercii gloriâ florens nomine Wißbue translatum eſt, ibi controverſiæ nauticæ cognitæ, & diremptæ ſunt. Unde eſt das Wißbuiſch Schiffrecht. *vid.* Matth. Steph. *de jurisdict. lib. 2. cap. 7. n. 7.* Tandem in LUBECAM ci-
43 vitatem Baltici Maris omnis poteſtas & facultas juris nautici eſt transportata. *Conf.* Johann Marquard *de jur. mercat. lib. 3. cap. 1. n. 27. & ſeqq.*

Porrò, ut aliorum, quibus permiſſum eſt, habere corpus Colle-
44 gii, Societatis, ſive cujusque alterius eorum nomine, proprium eſt, ad exemplum Reipublicæ habere res communes, arcam communem, & acto-

& actorem, ſive Syndicum, per quem tanquam in Republicâ, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat *l. 1. §. 1. ff, quod cujusque univerſit.* Ita etiam hic omnia ſigna Collegium demonſtrantia concurrunt: ut ſunt Confirmatio Superioris per *d. l. 1.* Sigillum commune, arca communis gemeine Lade Vinnius *ad §. 6. I de rer. diviſ.* Item Notarius, Syndicus, & Pedelli, per qvos expediuntur res collegiales, collegiatique ad exercendos tractus collegiales negotiorum communium convocantur. Cui Præſides, Rectores ſive Seniores, qui vocantur Alterleute ſive Altermänner, penes quos omnis eſt directio, & Autoritas. Etenim de omnibus cauſis, quas Collegati 45
ratione poſſeſſionis inter ſe habent, aut extraneus quis ratione rei nauticæ alicui movet, cognoſcunt *Magn.* Dn. Brunnem. *præceptor meus venerandus repet.* Weſenb, *de Jurisd. quæſt. 26.* Dn. Struv. *exerc. 2. th. 42.* Quin leges & ſtatuta, ipſorum profeſſionem concernentia condunt *l. 2. §. ult. C. de conſtit. pecun. Nov. 4. c. 3. § ult.* dumne quid ex publicâ lege corrumpant *l. fin. ff. de Colleg. Magnif.* Dn. Brunnem. *repet. Weſenb. quæſt. 3. d. t.* Dn. Struv. *ibidem*, arbitrariè in eum animadvertunt, qui contra hæc committunt, *vid.* Alex. *in l. 2. ff. ſi. quis jus dicenti.* Berlich. *deciſ. 150. n. 11.* Quippe quoniam iis data eſt à Lege Jurisdictio mediante electione iſtius Collegii *d. l. fin. vid.* P. de Caſtr. *in l. fin. de jurisdiction. omn. judic.* Berlich. *d. loc. n. 9.*

Sed cum notiſſimi juris ſit, Univerſitates (i. e. ſocietates, Col 46
legia, & corpora) actionem inſtituendo, vel elidendo ſemper teneri Syndicum conſtituere, aliàs non audiri *d. l. 1. §. 1. l. 2. 3. & 7. ff. quod cujusque univerſ. &* Anton. Faber *ration. ad d. l.* Gail. *de pac. publ. lib. 2. c. 9. num. 3.* Bartol. *in l. ſolent in fin. ff. de aliment. & cib. legat.* Nicol. de Tudeſch alias Panormitan. *in c. unic. de Syndico* Loſæus *tract. de jure Univerſ. p. 2. c. 1. num. 2. & ſeqq.* Mynſing *cent 4 obſ. 76. n. ult.* Carpz. *part. 1. c. 13. def. 15* Zœſ. *ad tit. ff. quod cujusque univ. n. 3.* hic an nomine Collegii jurare poſſit, quæſtionis eſt. Et primâ facie videtur conclu- 47
dendum, quod prædictus Syndicus debeat admitti ad jurandum conſentiente Adverſario, etiam abſque ſpeciali mandato, ſi ad utilitatem Principalis juramentum præſtetur per *l. nam poſteaquam 9. jus jurandum 6. ff. de jurejurand l. ult. §. penult. eod.* Poteſt etiam quis de jure Canonico conſtituere Procuratorem cum clauſulâ, quod juret in animam Domini, qui eum ſic ad jurandum conſtituit *c. fin. de jurjur. propter calum. in 6. & ad hoc adducitur gloſſa in c. ut circa §. fin. de elect. in 6. Et*

facit cum his Gloſſa quod quis facit per alium de reg. Jur. in 6. & quod notat gloſſa in c. tibi Domino 63. diſt. quibus addenda eſt gloſſa in verb. proprio chirographo gloſſa in c. licet mulieres in verb. proprio de jurejur. in 6, quæ dicit, quod illud dicatur proprium juramentum, quando quis jurat per procuratorem habentem ad hoc ſpeciale mandatum in ani-
48 mam Domini jurandi. Verum cum hi textus non loquantur de Syndicis, ſed de Procuratoribus: Ideoque meritò contraria opinio prævalet, juramentum Collegio vel univerſitati delatum non poſſe præſtari per Syndicum, ſed per tres vel quatuor Seniores collegii, quibus res optimè cognita *l. Municipibus 97. ff. de condit. & demonſtr. l. municipes 14. ff. ad*
49 *municipalem.* Ratio diverſitatis hæc eſt, quod Univerſitas non habeat animam intellectivam, Innocent. *in c. gravem de ſentent. excomm.* Bart. *in l. 2. C. de juram. calum.* Gail. *de pac. publ. lib 2. c. 9. n. 12.* Fachin. *lib. 1. controv. c. 12. n. 3.* Chilian König *Proceſſ. de Syndico pag. mihi 175.*
50 Hæc ſententia tanquam communis in praxi recepta eſt Cammergerichts-Ordnung *part. 2. tit 10. conſt. Elect. Saxon. 13. p. 1.* Capzov. *d. conſtit.* Joachim à Beuſt. *ad rubr. ff. de jur. jur. n 71.* Anton. Faber *in Cod. lib. 4. tit. de rebus creditis & jur. jur def. 40. per tot.* Daniel Moller. *ad Conſt. Saxon. p. 1. conſt 13 num 1. & ſeqq.* Berlich *p. 1. concl. 24. num. 15 & 17. Magnif.* Dn. Brunnem. *repet. Weſenb. ff. quod cujusque univ. quaſt. 38.*
51 Dn. Struv. *d. tit. th. 44.* ubi Dn. Carpzovium id etiam de juramento Calumniæ affirmare ſcribit, cui ſententiæ *Magnif.* Dn. Brunnem. *ob l. 2. §. 2. C. de jur. jur. propter calumn.* ſubſcribit *Proceſſu. Civili c. 15. num 10.* licet aliter res ſeſe habeat Jure Canonico *c. 3. 4. & c. ult de juram. calum.*

CAPUT III.

De Dominio Nautico

SUMMARIA.

1. *In quas res perſonæ nauticæ dominium habeant?*
2. *Membra navis quæ ſint?*
3. *Artemon & Carcheſium non ſunt membra navis.*
4. *Armamenta navium deſcribuntur.*
5. *Cibaria nautarum quando pro bonis communibus habeantur?*
6. *Nemo rem ſuam vendere cogi poteſt*
7. *Ampliatio.*
8. *Exceptiones aliquot.*
9. *Furtum non committitur, eſculentis vel*

tis vel potulentis extremâ famis necessitate surreptis.

10. *Rationes nonnullæ.*

11. *Imo peccat, qui in tali casu dicto modô sibi non consulit.*

12. *Roboratur sententia dictô Ambrosii.*

13. *Limitatur in casu, ubi cæteri in simili necessitate existunt.*

14. *In* acquisitione *dominii rerum nautic. consid. sunt personæ & modi.*

15. *Acqvirere possunt eas, qui non prohibentur.*

16. *Quinam prohibeantur naturâ?*

17. *Lege prohibentur (1.) piratæ.*

18. (2.) *Senatores.*

19. (3.) *Præsides & procuratores Cæsaris in ea provincia, cui præsunt.*

20. (4.) *Extranei, quamdiu civis adest, qvi velit emere. Si scil. statutum ejusm. alicubi viget.*

21. *Modi acquirendi sunt nat. vel civiles.*

22. *Naturalium tres sunt.*

23. *Quorum primus est* occupatio, *rerum vel personarum.*

24. *Concessa de Jure quoque Can.*

25. *Ratio.*

26. *Judicare tamen piratas & similes quis non tenetur.*

27. *Quod in foro conscientiæ fallit.*

28. *Magistratus piratas in aliud territorium fugientes perseqvens quid agere debeat?*

29. *Judex loci, ubi quis prehenditur considereret, an ad persequentis petitionem reum remittere, an verò ipsum punire in loco deprehensionis satius sit.*

30. *Hodie* remissiones *criminosorum in usu non sunt.*

31. *An bona captorum insequentis, an verò apprehendentis sint?*

32. *Rationes pro apprehendentibus.*

33. *Rationes pro insequentibus firmiores.*

34. *Respondetur ad argum. contraria.*

35. Accessio *describitur & dividitur.*

36. *Accessio artif. dividitur in confusionem & conjunctionem.*

37. *Conjunctio describitur.*

38 *Exemplis declaratur.*

39. *Quid Juris, si quis carinæ suæ navis antè dissolutæ tabulas alterius superstruxerit?*

40 *Quid sit Carina?*

41. *Opinio Vinnii & aliorum de quæst. modò all.*

42. *Autoris decisum de Vinnii sententia.*

43. *An tabulæ adjunctæ vindicari possint?*

44. *Rationes dubitandi.*

45. *Ratio decidendi pro aff.*

46. *Limitatio.*

47. Traditio *modus tertius acqv. dom. de Jure G.*

48. *Ejus requisita.*

49. *Differentia inter hunc modum acqv. & prædictos.*

50. *Ad*

50. *Ad traditionem donatio refertur*
51. *An donatâ nave ſcapha præſtanda ſit? N.*
52. *Quomodò dominus ratem ſuam, vi fluminis in alterius agrum delatam recuperet?*
53. *De quo damno, præterito an futuro, tunc cavendum ſit?*
54. *Quid, ſi dominus, cujus ratis in alien. agr. delata eſt, ignoretur?*
55. *Quid per* uſumfr. *navis intelligatur?*
56. *An nave diſſolutâ ejus uſusfr. extinguatur?*
57. Servitus *in navi conſiſtere nequit.*
58. *Navium uſus interdum reſtringitur poteſtate Principis.*
59. *Quæ poteſtas Dominium eminens appellatur.*
60. *Iſtius dominii effectus recenſentur.*
61. *Differt ab hac navium præſtatione Angaria & Parangaria.*
62. *Ab hac navium præſtatione nemo eſt immunis.*
63. *Limitatio, quæ tamen hodie non attenditur.*
64. *An damnum in præſtatione navis à prædonibus datum Princeps reſarciat? N.*
65. *Naves præternavigantium aſſicit* Jus ſtapulæ.
66. *Stapulæ etymologia.*
67. *Jus ſtapulæ definitur.*
68. *Competit quibusd. Civitatibus, uti Dreſdæ.*
69. *Non eſt ſemper æquale.*
70. Jus Geranii *quid ſit?*
71. Modi amittendi naves *&c. ſunt & alii Publicatio & Naufragium.*
72. *Vectigal quo Jure Venetia navigantibus exigant?*
73. *Quando naves confiſcentur?*
74. *Ad poſſeſſionem navis auferendam opus eſt ſententiâ.*
75. *Non excuſat hîc ignorantia.*
76. *Naves vehentes merces prohibitas confiſcantur.*
77. *Item naves Neutralitatem ſequentium, & nihilominus ad hoſtes neceſſarias abducentium.*
78. *Porrò naves, quæ potentiorum inſignibus falsò navigant.*
79. *Dominio navis communis quando excidat ſocius?*
80. *An dominus maris ſpoliatis damna in ſua ditione illata reſarcire teneatur? Diſt.*
81. *Caſus, quibus non obligatus eadem reſtituere.*
82. *Sequitur* Naufragium *alter modus amittendi naves & res in iis.*
83. *Naufragium fit vel caſu vel culpâ.*
84. *Naufragii definitio.*
85. *Bona naufragorum non confiſcantur.*
86. *Ratione confirmatur.*
87. *Et lege Civ. & autoritate Bodini.*
88. *Nec non Conſt. Caroli V. Jure item Can. & Camerali.*

Sin

89. *Singularia in probatione naufragii permissa.*
90 *Quinam ad probationem admittantur?*
91. *Testes intra quod tempus producendi sint?*
92. *Domesticum testimonium hîc non rejicitur.*
93. *Ratio.*
94. *Imo aliorum inhabilium testimonium hac in causa interdum admittitur.*
95. *Liberorum nautæ etiam vel Magistri in casu speciali all.*
96. *Evitatur nonnunquam Naufragium projectione mercium.*
97. *Sed tunc contributio facienda ab iis, quorum merces servatæ.*
98. *Quinam contribuant?*
99. *Quænam res in contributionem veniant?*
100. *Quænam excipiantur?*
101. *Quomodò contributio fiat?*
102. *Res explicatur exemplô.*
103. *Quid Juris, si res alicujus in navi deteriores factæ sunt?*
104. *Quâ actione contributio exigatur?*
105. *Postliminium in navibus.*
106. *Personæ nauticæ in navi bellicâ testari possunt Jure militari.*

DE nautarum qualitate jam intellectum est, ad Dominium Nauticum r
nunc transeo. Sunt igitur in dominio vel bonis eorum, qui rem Nauticam exercent, præcipuè Naves cujuscunque generis, cum membris, & armamentis navalibus.

Navium nomine quicquid comprehenditur, in antecedenti capite 2
explicatum est. Ideoque membra Navis dicenda sunt, quæ sunt pars Navis, quæque necessaria ad velificationem; veluti Vela, Malus, quo vela sustinentur, funes, gubernacula, Antennæ *l. 44. ff. de evict.* Arte- 3
mon vero additamentum magis, quam pars est *l. 242. ff. de verb. signif.* Nec carchesium navis membrum esse videtur, sed magis instrumentum quoddam, simile fortassis corbibus nostris, quos in mali summitate collocare solent Nautæ, ut exinde procul in mare conspiciant. Arma- 4
menta Navium sunt instrumenta, a navi separata, & per se stantia *l. 3. §. 1. ff. de rei vindic. l. 6. ff. de leg. Rhod. de jact.* ut remi, qui sunt perticæ longiores in latitudinem quandam desinentes, quibus navis vel impellitur, vel stabilitur. Item Pelles, & anchoræ, his navis sistitur, illarum usus est ad instrumenta navium & merces contegendas, ne aquæ fluctibus madefactæ corrumpantur.

Accensentur quoque bonis nautarum cibaria, quæ tempore na- 5
vigationis ad victum comparantur, sunt communia, si quando vectorum

ctorum edulia in navigatione defecerint *l. 2. §. 2. ff. ad l. Rhod. de ja*
6 *ctu.* Quamvis autem regulariter nemo rem suam vendere cogatur, *l. 11. C. de contrah. empt. l. 13. in fin. C. eod. l. 1. C. de rescin. vendit. l. 5. C. de obl. & action. l. 15. C de jure deliberand.* ac ne justo quidem pretio *l. 70. ff de*
7 *rei vindic. l. 9. ff de action. rer. amot. vid.* Augusti Barbosa *l. 19. axiom. c. 52.* Exceptiones tamen hæc regula recipit multas. Cessat igitur
8 prædicta regula ubi quis habet res venales, & publicè expositerit vendendas, maximè si pertinent ad victum, & vestitum hominum Mynsi. *cent. 5. obs. 27. num. 4.* (2.) Si quis frumentum ex agris civitatis collectum exteris, non civibus vendere velit, cogi potest, ut civibus vendat. Köppen *de priv. rustic. lib. 2. c. 3. p. 66. in fin.* Si (3.) colonus fructus ex fundo collectos alii quàm Domino emere volenti vendere velit Köppen *dict. loc.* Boër *decis. 107. num. 2.* (4.) Alia exceptio habetur in *l. 12. pr. ff. de relig. & sumpt. funer.* Addunt quidam & hanc inter quos est Boër *dec. 123. num 2. & 10.* Si quis agri colendi causâ itinere, actu, vel viâ per vicinum fundum indigeat, posset vicinus cogi, ut illi talem servitutem vendat. (5.) *In §. ult. Inst. de his qui sui vel alien. jur* (6.) Reciditur à regula propter favorem libertatis in *§. ult. Inst. de donat.* (7.) Denique toties quis cogi potest ad vendendum, quoties hoc singularis necessitas & utilitas publica exigit. Gomez *2. var. res. c. 2. num. 51.* Dn. Struv. *exerc. 23. th. 7.* Sic in gravi annonæ caritate omnio aliquis cogi potest ad vendendum res ad victum necessarias, quárum copiam habet *l. 1. 2. C ut nemini lic. in empt. spec. l. 1. §. 11. ff. de Offic. praf. Urb. Conf. Consultiss.* Dn. Brunnem. *comment. ad l. Omnia 1. C. de condit. in horr. publ.* Dn. Hahn *ad Wesenb. de contr. empt. n. 5.* Schneidewin. *tit. Inst. de empt. & vend. §. fin. n. 7. & seqq.* Don Garsias Mastrill. *dec. 17. pr. part. 1.* Treutler. *vol 1. disp. 28. th. 3. lit. D.* Zœs. *ad ff. n. 4. & C. de contr. empt. quæst. 1.* Ideoque Vectores hoc in casu, ut communi inediæ consulatur, sibi ipsis jus dicere possunt, cum copia Judicis nequeat haberi *l. 54. C. de decur. lex. 10. §. 16. ff. quæ in fraudem credit.* Bart. *in*
9 *l. 7. ff. quod vi aut clam.* Hinc rectè infertur, non fieri furtum, si quis extremâ necessitate famis adactus, quæ legem non habet *c. 4. X. de conv. c. consilium circa fin. X. de Observ. jejun. c. sicut de consecrat. dist. 1.* esculenta & potulenta, ut inediæ succurrat, surripiat per *c. 3. X. de furt. &c. 26. de consecrat. dist. 5. §. ult. constit. Friderici Imperat. de pace tenendâ. & ejus violat. lib. 2. feud.* Zœsius *in C. de furt. &. Serv. corrupt. quæst. 6* Baldus *in l. si laborante §. cum in eadem ff. ad. L. Rhod. Gail. 1. obs. 14.*

obſ. 142. num. 8. in fin. Magn Dn. Brunnem. *ad reg. 4. de regui. jur.* Vinnius *ad §. 1. Inſt. de oblig. quæ ex delict. num. 4.* Henricus Kornman. *de linea amoris c. 5. de facto pag. mihi 92.* Namque ut furtum fieri dicatur, omnia requiſita adeſſe debent, quæ habentur in §. 1. *Inſt. de oblig. quæ ex delict.* ubi definitur furtum, quod ſit contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratiâ. Hic autem non concurrit lucri ſtudium, nec dolus, cum majore vi impellente agens non dicatur eſſe in dolo, in omni vero delictorum genere requiritur dolus, per tradita Carpzov. *part. 3. pr. Crim. quæſt. 143. n. 11.* & non tam factum conſideratur, quàm faciendi cauſa. Imò maleficia ex voluntate, & propoſito æſtimantur l. 53. *ff. de furt.* nullaque major, & ſeverior neceſſitas eſt, quàm fames Tiraquel. *de pœn. temp. c. 33.* Nemo enim vivit de vento *l. ult. C. de alim. pupill. præſtand.* Profectò peccat ille tum in Naturam, cujus præcepta violat, tum in Rempubl. quam Cive privat, ſi ſibi non provideat contra mortis periculum, eo modo quo quisque defenſionem neceſſariam omitteret *Vid.* Paulus de Caſtro *in l. 1. §. jus gentium n. 9. de Juſt. & Jur.* Proſp. Farinac *p. 5. prax. Crimin. q. 125. n. 23.* Georg. Obrecht *tract.* de nec *defenſ. c. 1. num. 21. & ſeqv.* Naturale enim jus jubet ſe ſuſtentare legitimis modis; hunc verò modum eſſe legitimum ex *d. l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jact.* clareſcit, ubi ex ejusmodi neceſſitate omnia in commune ſunt conferenda, ſi ſint communia, non admittitur furtum, quemadmodum nec partiarius animalium, qui ea accepit ad medium lucrum, ſi vendit fœtus animalium inde provenientes, furti tenetur, *per tradita* Berrlichii *p. 5. concl. 44. n. 54.* Audi, quæ Ambroſius *relatus in can. Sicut. 8. Diſtinct. 47.* habet: *Proprium nemo dicat quod eſt commune, & quod plus, quam ſufficeret, ſumtum, etiam violenter obtentum eſt. Nunquid iniqvus eſt Deus, ut nobis non æqualiter diſtribuat vitæ ſubſidia? ut tu quidem eſſes affluens, & abundans, aliis verò deeſſet, & egerent? An idcirco magis, quia & tibi voluit benignitatis ſuæ experimenta conferre, alium per virtutem patientiæ coronare? Tu vero ſuſceptis DEI muneribus etſi in ſinum tuum redactis, nihil te putas agere iniqvum, ſi tam multorum vitæ ſubſidia ſolus obtineas? Qvis enim tam injuſtus, tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta ſuum non uſum, ſed abundantiam & delicias facit? Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quam cum poſſis, & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis.* Ergo ſi non illud remedium adhibeat eſuriens, & fame enecetur, vim quaſi ſibi in

fert, & videretur consentire in sui interfectionem, eo quod posset famem restingvere, nec vellet *arg. l. 50 ff. de reg. jur. c. 8. q. 3. 23.* Fallit tamen
13 hoc, si ceteri in simili necessitate existant *arg. l. Præses 6. C. de servit.* Berlich. *part. 5. d. concl. pract. 44. n. 46.* Zœs. *ad ff. de furt. n. 6.*

In acquisitione Dominii rerum navigandi causâ considerandæ
14 personæ, & modi. Ad personas acquirentes quod attinet, acquirere
15 possunt omnes, prout alias res, qui naturâ, vel Lege, aut Statuto non prohibentur. Prohibentur verò naturâ Infans, & furiosus, qui nihil
16 acquirere possunt *l. 1. §. 3. l. 32. §. 2. de acquir. possess. l. 70 §. 4. ff. de fidejuss. l. 1. §. 12. ff. de Obl. & Act* furiosus nequidem accedente curatore *l. 5. ff. de reg. jur.* acquirit, hereditatem autem paternam ad quoscunque heredes transmittit per *l. 7. §. 2. C. de curat. Furios.* Berlich. *dec. 147. n. 4.* & bonorum possessionem nomine furiosi Curator agnoscere potest, *l. 1 ff. de bonor. poss. furios.* imò ex constitutione Justiniani debet, ubi manifesta est utilitas furiosi *l. ult. §. 3. C. de curat. furios.* exceptionem vide in *l. 1. §. 5. l. 32. §. fin. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. 28. ff. de usucap.* Dn. Struv. *exerc. 41. th. 3.* Lege (2.) prohibentur, quibus
17 commercio rerum est interdictum in genere ut in *l. 4. §. 1. l. 22. C. de hæret. & man.* in specie (1.) Piratæ vulgò See-Haanen nequeunt sibi comparare Naves Angel. *cons. 290. dicens* navigandi licentiam ipsis esse interdictam. Cum his enim nec fidem esse debere, nec jusjurandum commune ait Cicero *lib. 2. offic. c. 13.* quoniam sunt publicæ fidei hostes, ipsoque jure proscripti, &, ut loqvuntur Baldus, & Salicetus diffidati habentur *ad Auth. navigia C. de furt.* Cum quibus nulla juris
18 communio *l. 3. ff. de just. & jur.* utpote naturalem hominum cognationem perfringentibus *vid.* Loccen. *de jure marit. lib. 2. c. 3.* (2) Senatores *l. 3. ff. de vacat. & excus. muner.* erat & Plebiscitum *Quint. Claudii Trib. pleb.* qui tulerat, nequis Senator, quive Senatoris Pater esset, maritimam navem, quæ pluris quam 300 amphorarum esset, haberet Liv. *lib. 21. fin.* Præterea ne quæstorii scribæ negotiationem exercerent. Nam periculum fore, ne de pecuniâ publicâ negotiarentur. Quam legem Domitianus Imperator in usum reduxit, & diligenter observari Jussit. Item (3.) Præsides & Procuratores Cæsaris in eadem
19 Provinciâ, cui præsunt, navem ædificare prohibentur *l 46. §. 2. ff. de jure fisci add. l. 62. pr. ff. de contrab. empt. l. 34. ff. si certum petatur. & ibi Dd. l. 8. ff. de Leg. Jul. repetund.* Imò ipsis cum subditis in loco, qui ipsorum præsidio commissus erat, interdictum erat commerciorum

usu

usu, nisi pro necessitate victus & amictus, *L. unic. C. de contract. Jud.* quod præsumatur contractus per concusionem potius extorqueri officii respectu, quàm liberè iniri, si is, qui in Provinciis agit officii causâ, quod apud quemque esset, emere vellet, sive esset venale, sive non. Hi enim authoritate sua nullo negotio obtinere poterant, ut subditi velint, nolint, res, quas extrudere cupiunt venales, ipsis vel suis 20
Officialibus vili pretio tenerentur addicere. Prohibentur (4.) Statuto extranei navem, vel partem ejus emere, quamdiu civis adest, qui velit emere. Quale statutum viget in Urbe Gedanensi *vid.* Dn Mevius *l. 3. tit. 7. n, 11.* referens ita observasse Senatum Stralsundensem motâ hac de re controversiâ inter peregrinum & Civem. Tale enim Statutum prohibens alienationem, & translationem Dominii valere tradit Gail. *2. obs. 19. n. 3. per text, in l. 34. §. 1. ff. de contrab empt. l. 14. ibid. Nisi lex specialiter C. de contrab. empt. & vend.*

Modi acquirendi & amittendi hujusmodi rerum dominium sunt 21
communes cum naturales, seu juris gentium tum civiles: illiusmodi 22
sunt varii, qui summatim ad tres classes reduci possunt, scilicet ad Occupationem, Accessionem, & Traditionem.

Occupatio est, si quis Navem pro derelicto habitam occupave- 23
rit *arg. l. 5. 1. l. 1. §. 2. ff pro derelicto §. 46. Inst. de rer. divis.* vel hostium, aut piratarum naves pugnando capit. Hi enim sunt latrones & prædones similes palantibus militibus *l. 7 ff. de incend. ruin. naufr.* aggressores in mari maritimi, qui naucleros deprædantur navigantes in mari violenter aggrediuntur, eorum naves rapiunt *l. 5. C. de navicul.* & navigantium securitatem impediunt, crimen notorium actu permanens perpetrantes. Quos famosos apprehendere etiam privatis licitum videtur per *l. 13. C. de fidejuss.* ubi latronem invenire est capere, corripere, exhibere, sistere l. 11. C *Theod. de desertor. l. 35. §. 3. ff. de contrab. empt.* sc. ut apprehensi sistantur ei, qui ibi dominatur. Quod ju- 24
re Canonico quoque probatur per *c. 3. X. de raptor.* ubi ipso jure sunt excommunicati & possunt impunè lædi *c si quis 6 c. 23. quæst. 3.* & offendi tam in personâ, quam in rebus. Etenim sunt hostes publicæ 25
fidei, infames & absque ullâ declaratoriâ sententiâ, sed ipso facto, & *jure* nunc prout ex tunc & tunc prout ex nunc in bannum imperiale incidunt ex constitutione Imperii in *Comitiis Augustanis de An. 1559.* promulgatâ § Damit dann hinfüro Gail. *de pace publ. lib. 2. c. 3. num. 18.* Non tamen eos indicare quis tenetur. Dn. Strauch. *de imperio Maris.* 26

27 *c. 9 §. 4.* Fallit quoad forum Conſcientiæ *c. 4 X. de furtis*, & in ſubditis, qui crimina enormia indicare obſtricti ſunt, quibus, ſi conticeant, eadem pœna, quæ delinquentibus, debetur *l. 6. & 7 ff. ad l. Pompejam*
28 *de Parric.* Si Magiſtratus aliquis hos in ſuo territorio perſequi inceperit, transfugientes in aliud territorium, non intermiſſâ perſecutione apprehendere poteſt, apprehenſos autem ibidem ſiſtere tenetur, niſi velit actione injuriarum pulſari, quod vulgò nacheyl vocari ſolet per *Receſs. Imperii de Anno 1555* §. wurde ſich aber bey einen, *& de Anno 1559* §. Und haben uns demnach Auguſtæ vindelicorum erectum facit cum hoc *text. l. 1. C. ubi quis de curial. vel cohortal. text. in c. 1. § ſi Ju-*
29 *dex, de pace tenend. & ejus violat. & in l. 23 §. fin. ff. ad L Jul. de adult.* Gail. *de pac. publ. lib. 1. c. 16. n. 26.* Mynſing. *2. obſ. 28. n. 3.* Præcedente tunc cauſæ cognitione Judex loci, quo quis prehenſus eſt, perſpiciet, utrum ad petitionem perſequentis remittendus ſit, an verò ipſe velit reum punire Fachin. *lib. 9. controverſ. c. 23. vid.* Treutl. *vol. 1. diſp 3. th. 8. l. F. Magn.* Dn. Brunneman. *Proceſſ. inquiſit. c. 3. num. 7. & ſeqq.*
30 Dn. Struv. *exerc. 49. th. 12.* Hodie enim remiſſiones criminoſorum ex conſvetudine maximè Germaniæ amplius in uſu non ſunt And Gail. *lib 1. de Pac. Publ. c. 16. num. 30* & quod olim erat neceſſitatis, id hodie eſt arbitrii, ut contrario uſu à Conſtitutione Juſtiniani *Nov. 134.* ſit receſſum Vultejus *ad l. 1. C. ubi de crim. agi oport. n. 4.*

31 Illud jam in quæſtione eſt, Si quis Capitaneus Piratas quosdam offendens in fugam disjecerit, inſequendo autem maris tempeſtate prepeditus hoſce capere non potuit, ſed tantum coegit in inſulam quandam, utrum eorum navigia, & bona inſequentium, an verò ca-
32 pientium fiant? Ad capientes pertinere indicare videtur *text. in §. Illud quæſitum fuit Inſt. de rer. diviſ. & ibidem* Vinnius *in l. in laqueum 55. ff. de acquirend. rer. domin. & in l. naturalem 5. §. 1. ff. eod.* quibus in locis habetur, quod, ſi aliqua fera fuerit ab aliquo vulnerata, ab *alio* vero capta, quoniam vulnerans vulneratæ veſtigia ſtringere non potuit, de jure fiat occupantis; ratio quia multa evenire poſſunt, & ſolent, ut ea non capiatur Huc quoque facit. quod ſpolia capta ab hoſtibus capientium fiant §. 17. *Inſt, de rer diviſ. l. 1. §. 1. ff. de acquirend. rer. poſſeſſ.* & non ſufficit aſpectus, adeo quod capta non dicantur, niſi apprehendantur *text in d. l. 1. §. averſ. Item bello.* ibi (qui primus eorum poſſeſſionem nactus fuerit) *& text. in l. 3. §. Neratius eod. tit.*
33 Contraria tamen ſententia magis æqua, & in puncto juris verior eſt,

tum

tum quod rationi consentaneum, quod Capitaneo, & militibus suis strenuè pugnantibus spolia captivorum assignentur *l. 36. §. C. de donat. c. Jus militare 1. distinct.* tum quod deterioris essent conditionis, qui strenuè, & non sine periculo mortis cum Piratis prælio dimicassent, quam illi, qui sine discrimine vitæ fugatos & ita deperditos accepernnt Jason *in l. 1. n. 9. ff. de acquirend. rer. possess.* Adde quod præda, & spolia hostium spectent ad Victores, hi autem non possunt negari sufficienter vicisse, qui hostes inermes reddunt, inque terram impellunt, fugam intercludentes. Proinde Capitaneo, qui potentiâ & armis suis inibi detentos habuit, & ita causam capturæ præstat, adscribenda sunt spolia, ut vult Salyc *in l. ab hostibus illa 2. c. de postlim. revers.* & ex multis respondet Cæphal. *in Cons. 136. vol. 1. cons.* Joh. Marquard. *de Jure Mercat. lib. 1. c. 15. n. 42*

Nil movent leges in contrarium adductæ, ad quas respondendum, quod diversa sit ratio, namque venatores non se exponunt pe- 34
riculo vitæ, sed tantum animum intendunt in prædam. Milites verò, quando adoriuntur piratarum naves, utique exhibent & exponunt vitam discrimini mortis, bonaque periculo maris & fortunæ. *Lex 55. ff. de acqu. rer dom.* videtur potius cum nostrâ sententiâ facere, dum JCtus, rejectis distinctionibus in principio positis, simpliciter decidit, aprum meum esse factum, si in meam potestatem pervenerit; Pervenit autem in meam potestatem, si laqueo ita irretitus est, ut se ex illo exuere nequeat. Id quod sequentia verba indicant, & innuunt, sc aprum meum desinere esse, si quis illum in suam naturalem laxitatem dimiserit, actione in factum mihi contra eum concessâ. Deinde licet Imperator in *d. §. illud qvæsitum*, videatur approbare sententiã *Gaji in d. l. naturalem §. illud:* tamen dicit ibi glossa, quod opinio Trebatii JCti, qui tenebat contrarium, servetur de consuetudine, & ita etiam firmant Gram *decis. 75. n. 9.* Jo de Plat. Bart. & Aret. *in d. § illud,* & illud jus scriptum per consvetudinem correctum esse testatur Bart *in l. quo minus n. 10. ff de flumin.* quâ in parte standum est glossæ, & Doctoribus de consuetudine testantibus, ut notat Bartol. *in l. de quibus 32. pr. ff. de leg.* cujus opinio communiter approbatur, *ut per* Dec. *in l. 2 §. mutui datio in fin. ff. si certum petatur.* Imò respondetur, quod illæ leges procedant in casu ambiguo, quo fera vulnerata conspectum & potestatem nostram evadere potest, & non potest, ut rectè sentit, *text. in d. §. illud.* Quod æquè

non

non poſſunt ii, quos ita tenemus occupatos, ut nuſquam ſeſe proripere valeant. Et hæc ita ſecundum ſtrictam rationem.

35 Accesſio eſt modus acquirendi ex eo, quod rei, quam tenes, alia accedat, eſtque vel naturalis, vel artificialis, ſeu induſtrialis, vel fortuita Dn. Struv. *exerc. 41. th. 23.* Duas haſce naturalem ſc. & fortui-
36 tam, quoniam hujus loci non ſunt, meritò intactas relinquimus. Accesſionis artificialis, ſeu quæ ab hominibus eſt, quo res tota perfectius cognoſcatur, duo genera facio, confuſionem & conjunctionem.
37 Illa huc etiam non pertinet. Ideoque conjunctio eſt, cum res ita junguntur, ut cohæreant, diſcretâ manente earum ſubſtantiâ: ſive ita res alienæ rebus noſtris junctæ cohærent, ut iis quaſi baſibus innitantur & ſint tanquam additamenta, aut ornamenta rei noſtræ, quod ta-
38 men univerſale non eſt: Veluti ſi quis navem ſuam alienâ materiâ refeciſſet, Navis qrioris Domini manet *l. 61. ff. de rei vindicat.* Item ſi quis navem ex alienis tabulis conſtruxit, navis iſtius dominium acquirit is, qui fecit, quia Cupreſſus non manet, ſicuti nec lana veſtimento facto, ſed cupreſſeum, aut laneum Corpus fit *l. 26 pr. ff. de ac-*
39 *quirend. rer. dom. l. 18. §. 3. ff. de pign. action.* Quod ſi quis carinæ ſuæ navis antè diſſolutæ tabulas alterius ſuperſtruxerit, & navem de integro ædificaverit? Iſtam ædificantis non manere Minutius reſpondit, ſed Julianus hanc ſententiam notat: quia cujus eſt carina, ejus intelligitur eſſe totum Corpus navis *d. l. 61.* Eſt autem Carina pars
40 infima navigii totiusque ſtructuræ fundamentum Schiffsboden, notat etiam trabem, in qua navis fundatur, der Keel Dn. Struv. *exerc. 41. th. 40.* ut hinc meritò quicquid carinæ ex alienis tabb. adjunctum, carinæ quoque cauſſam ſequatur, ſicut rectè hoc explicat Godofred.
41 *ad d. l. 61 lit. T.* Aliter Vinnius *ad §. 25. num. 5. cum* Connano *3. comm. 6.* hoc explicat, qui navem ex alienis tabulis factam nominatim inter hujusmodi ſpecies numerat, quæ, quod ad priorem materiam reduci non poſſint, facientis fiunt. Et Connanus *d. loc.* ultima verba: *Nam proprietas totius navis carinæ cauſam ſequitur*, ita interpretatur, eum qui navem carinando formavit: Carina enim, ut ipſe deſcribit, non ſemper infimum navis alveum ſignificat, ſed interdum ponitur pro ipſo navis corpore, quod totum carinatum eſt, hoc eſt, pro totius navis formâ ut in *l. 24. §. uit. ff. de leg. arg. l. 1. proponebatur 76. de Judic.*
42 Integra tamen hæc res eò recidit, an tabb. antea præparatæ fuerint ad navis exſtructionem, an non, Poſteriori caſu concedo Vinnii opinio-

opinionem, non priori, ibi enim ad priſtinam materiam reduci navem poſſe, nullus dubito.

Cæterum contra naturam eſt, ut quis ex aliena re locupletetur 43
cum alterius damno, numnam priſtino Domino conſultum eſt ali- 44
qua actione, qua vindicet tabulas adjunctas? Dubitari poſſet exemplo. tigni juncti ob paritatem rationis. Rationes, ob quas lege XII. tabl. vetita eſt tigni alieni ædibus juncti vindicatio, ſunt duæ. Una eſt, ne ob id ædificia reſcindi neceſſe ſit *l. 1. de tigno juncto. l. 7. §. cum in ſuo 10. ff. de acquir. rer. dom. §. 29. Inſt. de rer. diviſ.* Altera ne per hoc ruinis urbs deformetur *l. 2. §. ſi quis 17. l. ult. ff. ne quid in loc. publ. l. 2. C. de ædif priv.* adeoque: uſui publico, & ſingulorum id nocivum foret, ſi novus Dominus cogeretur tabulas eximere cum periculo Naufragii Accedit quod quibusdam in regnis, & urbibus maritimis venditio Navium intra certum tempus ſit prohibita, nedum diſſolutio. Nec obſtare videtur, quod ſecunda Cauſa in noſtro caſu ceſſat, ſc. publci decoris, & ornamenti ratio, ne ædium demolitione, & ruinis aſpectus deformetur, nam hæc conſideratio extrinſecus legem movit, non tamen fuiſſe τὸ δι' ὅπερα, ſive cauſam, cujus gratia tignum eximi vetuerit, non obſcure colligitur ex eo, quod alioqui dicendum eſſet, nunquam licere civibus ædificia ſua demoliri, aut tignum inde eximere, quod falſum eſt *l. 27. §. ult. l. 37. ff. de rei vind l. 5. in fin. C. eod. l. pro voluptuariis 9. ff. de impenſ. in res dotal.* Nec quodvis tignum exemptum ſecum trahit ruinam ædificii, ut patet in *l. 2. C. de ædific. privat.* ubi permittitur marmora transferri, dumne ædes deſtruantur. Præterea ſufficit, quod altera ratio ſuperſit, quæ impediet diſſolutionem Navis; Ubi enim duæ rationes prohibentis legis ſunt, quarum una ceſſat, alia adhuc ſuperſit: tunc ratio ceſſans non facit ceſſare prohibitionem *text. in l. 11. §. 1. ibi* Bartol. *ff de his qui notant. infam.* Mynſ. *cent. 5. obſerv. 63. n. 11* Math. Stephani *ad Nov. 22. n. 88. in fin.* Prædictis tamen non obſtantibus, ulterius cogitanti mihi contrarium de 45
jure videtur *ob. l. 7. §. 2. ff. ad exhibend.* quia tigna junguntur rebus immobilibus *d. l. 7. l. 62. ff. de verb. Signif. §. 29. Inſt. de rer. diviſ. l. 1. ff. de tign. junct.* naves autem ut ut magnæ molis ad res mobiles pertinent, ideoque idem, ut de cæteris, judicium eſto *l. 1. §. illud 6. junct. §. ſi quis de navi ff de vi, & vi armata l. 20. §. 4. ff. quod vi, aut clam l. 6. §. ult ff. de his qui effuder. vel dejec.* Tiraquell. *de retract. 7. n. 9.* Straccha *de Navib. part. 2. n. 31.* & Dn. Mevius *comment. in jus Lubecenſ. p. 1. lib. 1. tit 10. art. 6.*

art. 6. n. 78. Rittershusius *in part. feud. lib. 1. cap. 7. quæst. 5.* Quo casu actio ad exhibendum, ut tabulæ separentur, & tum vindicentur, denegari non potest, ne queri habeat Dominus cum ædificante, tabulas sine suo facto sibi periisse. *d. l. 7. §. 2. ff. ad exhibend. l. in rem. 23. §. 5. ff. de rei vindic.* Putarem tamen audiendum esse b. f. possessorem pretium ta-
46 bularum offerentem; maximè si eæ sine manifesto ejus damno separari non possint. Vinn. *Inst. ad §. 26. n. 4. de rer. divis.* Utut Dominus materiæ æstimationi acquiescere tenetur, si tabulæ in sua initia reduci non possunt *l. 23. §. 5. ff. de rei vind.*

47 Tertium acquirendi dominii jure gentium præcipuum, & utilissimum caput est traditio, quæ geritur inter dantem, & accipi-
48 entem §. *40. Inst. de rer. divis. l. 20. C. de pactis.* Ubi in illo requiritur (1.) ut dominium habeat, neque ejus arbitrium sit restrictum *tot. tit. Instit. quibus alien. lic. vel non, tit. de rebus eorum quæ sub tut. tt. C. de rebus alienis non alien. l. 114. §. 14. de leg. 1. l. fin. C. de pact. inter empt. & vend.* (2.) Ut habeat animum transferendi, cui duo insunt (1.) Ut sciat rem esse suam *l. 35. ff. de acquirend. rer. domin. l. 3. §. 8. ff. de condict. causâ dat.* & (2.) titulus seu causa intercedat justa, & ad translationem dominii habilis *d. §. 40. Inst. l. 31. ff de acquir. rer. dom.* Illud non refert, revera præcesserit causa, an opinione tradentis *tt. ff. de condict. indeb.* In hoc requiritur consensus & rei traditæ acceptio, & apprehensio *l. 69. ff. de Reg. Jur. l. 36. ff. de acquir. rer. dom.* Inde inter hunc, & superiores acquirendi modos apparet differentia,
49 quod in his modus acquirendi idem est & titulus seu causa; in specie autem propositâ non juvat apprehensio ad acquirendum dominium, nisi præcedat causa, quâ movetur Dominus suam rem transferre in accipientem. Nam per modos fit ipsa constitutio, & acquisitio, per causas præparatio constitutionis, & acquisitionis *d. §. 40. Inst. de rer. divis. l. 31. pr. ff. d. t. princ. Inst. de Usucap.* Vultejus *1. Jurispr. Rom. c. 69. in fin.* quæ sunt emptio, venditio permutatio, & cæteræ causæ Dn. Struv. *exerc. 41. θ. 55.* Vinn. *ad d. §. 40. Inst. de rer. div.* Zœsius *comm. ad. ff. de acquir. r r. dom. n. 82. & seqq.*

Huc referenda quoque est Donatio inter causas acquisitionis juris gentium §. *40. Inst. de rer. divis.* nihil enim tam naturale est, quàm hominem homini benefacere, nisi Navis excedat æstimationem 500.
50 solidorum, ob quam actis insinuanda est donatio, tunc naturam potius mixtam induet, & maximam adhuc partem juris naturalis retinebit

nebit Vinn. *ad rubr. tit. Inſt. de donat.* Unde quæſitum eſt, utrum donatâ Nave ſcapha præſtanda ſit? Non debet præſtari *Paulus* ait, quoniam ſcapha navis inſtrumentum navis non eſt, etenim per ſe parva Navicula eſt fluvii capax, ad mare non ſufficiens, & non genere, ſed mediocritate ab eâ differt: Inſtrumentum autem cujusque rei neceſſe eſt alterius eſſe generis, atque ea cujus eſt *l. 44. ff. de evict. l. 29. ff. de inſtrum. vel inſtruct. legat.* Nec proſcripta aut confiſcata intelligitur, navi publicatâ per tradita Baldi *in l. 3. C. de naut. fœnor. n. 6. Vid.* Straccha *tract. de navibus n. 12.* 51

Exiſtit hoc loco quæſtio, quomodo Dominus recuperet ratem, ſi violentiâ fluminis in agrum alterius delata ſit; Interdictum à Prætore datur, ne vis fiat ei, quo minus ſua tolleret, auferret, ſi modo Domino agri cautionem de damno interponat *l. 9. §. 3. ff. de damno infecto l. 8. ff. de incend. ruin. naufr. l. 5. §. 4. ff. ad exhibendum.* Utrum verò de futuro duntaxat damno, an de præterito cavendum ſit, inter JCtos non convenit per *d. l. 9.* Ulpianus, Trebatius, & alii putant ſufficere, ſi de infecto caveat, *conf.* Dn. Struv. *exerc. 39. th. 26.* Neratio verò placuit de utroque cavendum eſſe *d. l. 9. §. 3.* Rationem diverſitatis ponit gloſſa in negligentia Domini ratis in *d. §.* qui ratem non bene religavit ad ripam. Dyn. *vero,* & Jacob. de Aret. tenent, quod Neratius alios corrigat, & non loquatur in diverſo caſu, ſed eo quod Dominus non potuit prævidere. Proinde cum nec Actori, nec reo poſſit imputari culpa, melior eſt conditio conventi, quia par utriusque cauſa eſt *l. 91. §. 3. ff. de verb. obligat.* & hujus opinionis patrocinator reperitur, Bartolus *in d. l. 9. de damn. infect.* à priori tamen ſententia in Praxi recedendum non eſſe monet Poman. *in addit. ad* Bartol. *d. l.* Quid ſi dominus ignoretur, cujus ratis in agrum alienum transportata eſt? Recte probeque faciet, ſi inquirat de domino per præconem, ubi conſuetudine id receptum, ne crimen furti incurrat *l. 43. falſus §. qui alienum ff. de furt.* vel in vicinis locis libellum proponat ſignificantem ratem in ſuum agrum delatam eſſe, & ſe reſtituturum Domino, qui deſideraverit & ratem intra certum temporis ſpacium ſuam eſſe probaverit: tempore transvecto, ſi nemo delatam repetat, pro derelicto haberi poteſt, & eam, ſi pauper eſt, ſibi ceu munere Dei collatam retinere potuerit, ſin dives eſt, tutius facit, ſi rate venditâ in pauperes diſtribuat *arg. Auth. Omnes peregrini verb. in pias cauſas erogantur C. comm. de Succeſſion. vid.* Bartol. *ad d. l. falſus §. 4. ff. de furt.* 52 53 54

Zoes. *de furt. & serv. corrupt. quæst. 5.* Struv. *exerc. 41. th. 60.* Treutl. *vol. 2. disp. 20. 8. lit H.*

55 Denique ut in rebus omnibus, unde aliqua utilitas qualiscunque percipi potest, ususfructus constitui potest, sive immobiles sint, sive mobiles §. *2. Inst. de usufr.* Ita etiam recipiunt Naves usumfructū. Hinc quæsitum est, quid ususfructus appellatione veniat? & responsum est, Navis usufructu legato, navigatum mittendam esse licet naufragii periculum immineat *l. 12. § 1. ff. de usufructu & qvemadm. l. 62. ff de rei vind. l. 6. C. de Offic. Rector. Provinc. confer* Straccha *de navib. part. 2. n. 6.* Navis enim ad hoc paratur, ut naviget l. *12. §. 1. ff. de*
56 *usufruct. l 16. ff de rei vindic.* Item quæritur, an si navis dissoluta sit, usus fructus intereat? Et placet, si per partes refecta sit, usumfructum non periisse, quia si navis adeo sæpe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eandem navem existimari Author est *Ulpianus in l. 76. de judiciis.* Si autem dissoluta sit, licet iisdem tabulis, nullâ præterea adjectâ, restituta, usumfructum extinctum esse *l. 10. §. 7. ff. quibus modis ususfruct.* Quod verum, si eâ mente dissoluta sit, ut ex iis tabulis aliud quiddam fieret, deinde mutato consilio iisdem tabulis compingatur, quia perempta prior navis & hæc alia dicenda est *l. 83. §. 5. ff de verb obligat. ad l. 98. §. 8. ff. de Solution. & liberat.* Sic nave, quæ legata erat, dissolutâ, neque materia neque navis debetur *l 88. §. 2. ff. de legat. & fideicom.* Minimè vero in Navi servitus realis constitui potest Straccha *de navib p. 2 n. 29.* Joh. Marquard *d tract. lib 2. c. 5. n. 35* Quia realis in rebus mobi-
57 libus consistere nequit, sed tantum immobilibus, sive rebus soli §. *2. Inst. de rer. division* naves autem inter res mobiles referri suppra §. 10. dictum est. Padilla *ad l. 1. C. de Servit. & aqua num. 12.* Quanquam si maximè jure prædii urbani censeatur Jason. *in l. 18. ff de in jus vocand* & inter res immobiles numerarentur, alia tamen desunt. Nam duo prædia *sint* necesse est, quorum unius causâ servitus constituatur, alteri imponatur, unum dominans, alterum serviens. §. *3. Inst. de servit. præd. rustic. & urban l. 7. §. 1, si servit vindicet.* Deinde requiritur in his vicinitas *l. 5. de S. R P l. 38. 39. de S. U. P. l. 14. §. ult ff. de adimend. legat* 3) Ut causa sit continua, & perpetua, atque facultas utendi semper adsit *l 28. ff. de servit.* quæ omnia hic concurrere non recte dixeris *vid.* Corvin. *de servit, & aqua vers. dico, & seqq.*

Illud

Illud ſicco pede prætereundum non eſt, navium uſum inter- 58
dum eſſe reſtrictum, ut Nautis dominari navibus ſuis non ſit integrum, quod contingit, quando Princeps vel qui jus Majeſtatis habet pro negotio ſuo, vel multo magis pro publico tempore neceſſitatis jure Regali exigit *vid. c. unic quæ ſint regalia 2. Feud. 56.* Navium præſtationes *l. jubemus 10. C. de SS. Eccleſiis.* Marquard. *d. tract. lib. 2.* *c. 5. num. 38.* Princeps enim indefinitâ cum bonis ſubditorum agendi 59
poteſtate gaudet, quæ Dominium eminens appellatur *vid.* Dn. Schookius *tract. de leg. Reg. ſect. 2. c. 4. num. 7.* Quapropter Gail. *2. obſ. 56.* 60
infert, quod Princeps publicâ utilitate ſuadente domum ſubditi ſui demoliri, aut ejus fundum urbi vel civitati propinqvum pro dilatandis foſſis civitatis, vel extruendo propugnaculo, aut aliâ neceſſitate publicâ occupare, item ſuburbia deſtruere, vel incendio, ne hoſtis eò ſe recipiat, conſumere poſſit, favor enim publicus privatæ utilitati præferendus *text. in c. imperialis pr. de prohibit. feud. per Lotharium text. in l. unic. § 14. C de cad. toll.* Separandæ autem ſunt 61
navium præſtationes ab Angariis & parangariis per *c. unic. quæ ſunt regalia 2. Feud. 56.* Angaria dicitur præſtatio neceſſaria curſoriorum equorum, vel mulorum imperata Provincialibus tunc, cum Veredi publico curſui deſtinati *l. 1. C de curſ. publ.* in functione muneris publici expediendâ non ſufficiunt, aut nulli diſpoſiti alicubi habentur. Quando vero Clitellarii & agminales equi ſunt impares oneri ferundo, vel planè alicubi non aluntur, tunc præſtatio equorum privatorum dicitur parangaria. Erant equi majores, qui convehebant poſt exercitum impedimenta i.e. inſtrumenta, itineri, & commeatui neceſſaria, & ſarcinas, quæ uſui exercitus inſerviunt, ut videre eſt *in l. ult. Patrimoniorum autem 21. ff. de munerib. & honoribus*, & docet Cujac. *ad Rubr. C. de curſ. publ.* ita explicat Bocerus *de Regalib. fiſci c. 3. n. 247.* Ab hac na- 62
vium præſtatione nemo provincialium immunis eſt quando ad felicisſimam expeditionem regalis numinis exigitur *d l. ult §. 24. & 29 tot. tit. C. de navib. non excuſand. lib. 11. l. unic. C. de. Naut. Tyberin. l. 4. ff. de veteran. l 10. C. de SS. Eccleſ tot. tit. C. de quib mun vel præſt. nemini lic. l. 21. C. de curſ. publ lib. 12.* Dummodo illæ naves duorum millium 63
modiorum capacitatem habeant *l. 2 C. de navib non excuſ.* Hodie tamen hujus quantitatis non adeo rationem haberi, putarem. omnes enim, ſi neceſſitas exegerit, oportet publ. utilitatibus obedire *l. 1. C. de navib. non excuſ. lib. 11.* Loccen *tract. de jure marit. l. 1. c. 5. n. 5. & ſeqq*

64 Hinc quæritur, ſi navis, dum ſubvectiones præſtantur, diripiatur à prædonibus, aut deterioretur, nunmne Principem damnum hoc re ſarcire oporteat? Negamus cum Alciato *ad l. neminem 10. in verb. plauſtris C. de SS. Eccleſiis.* quia impetus prædonum prorſus à nullo præſtatur *l. contractus 23. in fin. ff. de reg. Jur.* Hanc ſententiam veram amplectuntur Peckius *ad tit. C. de navib non excuſ.* Loccen. *de jure mar. lib. 1. c. 5 num. 9.* Bocer. *de regalib. fiſci c. 3. n. 249.* Hoc procedit quoque in peregrinorum navibus *arg. l. ult. §. 22. ff. de muner. & honoribus* Sixtin. *de Regal lib. 2. c. 3. num. 22.* ſolutâ tamen mercede juſtâ *l. 6. C. de navicul. l. 13. §. 1. ff. comm. præd.* Selden. *de mari clauſ. l. 2. c. 20.* quem refert Marquard *d. tract. lib. 2. c. 5. num. 40.* Si tamen unus ex nautis nomine integræ civitatis navem ſuam ad publicas utilitates deſtinaverit, & damnum à piratis paſſus ſit, eidem damnum hoc, licet non à Principe, tamen ab ea Civitate reſtituendum eſſe, juſtum eſt Bocer. *d. l.*

65 Similiter Naves præternavigantium afficit Jus Stapulæ. Sta-
66 pula derivatur ex veteri Teutonico Stapa vel Stapel, quod forum latinè expoſitum in vetuſtiſſimo Lexico latino Saxonico olim vidiſſe apud *Marquardum Freherum Heidelbergæ* teſtatur Salmaſius *obſ. ad Jus Atticum c. 5.* Jus Stapulæ die Staffel-Gerechtigkeit, oder
67 Niederlage deſcribit Dn. Strauch. *diſp. de imper. mar. c. 7. §. 6.* quod ſit jus merces exteras in portum delatas ſiſtendi, ut non prius, quàm venum ibi expoſitas aliò transferre liceat, quod & emporii jus &
68 plenum dicitur *vid.* Marquard. *l. 2. c. 6. num. 33.* Sunt etiam quædam Civitates, quibus hoc jus ex imperatoris, & Statuum Imperii conceſſione vel immemoriali præſcriptione competit. Sic Cives Dreſdenſes hoc gaudent privilegio, quod omnes, quicunque Albi fluv. rates, materias, frumentum, Autumnique fructus devehunt, Dreſdæ ad ripam fluminis apellere atque ad tres dies ibidem cum *ſuis* mercibus ſubſiſtere teneantur. Stat. Dreſd. *c. 14. §. 19.* Idem huic Civitati Jus competit, quo facultatem habent exterorum merces reſtringendi ad ſuum forum vid. *capitulatio Ferdinandi III. art. 20. Imperatoris Leo-*
69 *poldi de Anno 1658. art. 21.* Non tamen ſemper æquale eſt, nonnullæ civitates tantum certo tempore præternavigantes adſtringunt ad præſentandum merces. Interdum minus plenum conceſſum Jus ſtapulæ, quando continet tantùm appulſum ad exonerandas naves, ut ſoluto vectigali, vel acciſa, aliis navibus merces impoſitæ, in vicinis locis diſtrahan-

ſtrahantur; Qua de re ex Chriſtoph. Lehmanni *Chron. Spirenſ. lib. 4. c. 22. p. m. 363.* quædam hic inſerere lubet; Solcher Staffel ſind in den Städten am Rheinſtrom Cölln die erſte, Maynz die andere, und Speyr die dritte, und haben dieſe Gerechtigkeit, erſtlich welche Schiffe den Rheinſtrom auf- und abfahren, und mit Staffelbahren Güttern beladen ſeynd, daß ſie daſelbſt aufkehren, dieſelbe außladen, ins Kauffhauß führen / niederlegen, und davon die Schuldigkeit zahlen müſſen, welche nach entrichteten accis in andere Schiffe, oder auf die Achſe geladen und in die Oberrheiniſche Lande geführet werden / &c. Id quod propriè jus Geranii die Kranen Gerechtigkeit dicitur, wann die angegebene Waaren beſichtiget, gezehlet, oder gemeſſen werden, damit den Zollen kein Eintrag geſchehe. Sicut hoc notat Dn. Strauch. *d. l.* §. *6. in fin.* plura de Jure ſtapulæ vide apud Marquard. *lib. 2. c. 6.* 70

Poſt modos acquirendi ſuccedunt modi amittendi, qui potiſſimum conſiſtunt in Publicatione, & Naufragio, cæteros ſtudio omitto, ne longiori ſcripturâ calamus dilatetur, ſiquidem non inficias eo, alios acquirendi modos dari. 71

Supra relatum eſt, mare proprietatis capax eſſe, & in illud imperium Principis ſine injuriâ extendi, unde conſtat, Venetos omnem Superioritatem, ac jurisdictionem civilem, & criminalem in Mari Adriatico obtinere, prout ſentit Bald. *in rubr. de rer. diviſ. n. 2.* Inde ex vi hujus ſuperioritatis Venetorum Domini navigantibus vectigal recte imponunt ſub comminatione mercium confiſcandarum Peregrin. *de Jure fiſci lib. 8. num. 14. & 15.* Ruin & Angelus *in l. ſane de injur.* Salic. *in l. 3. C. de naut. fœn.* Vinn. *Inſtit. de rerum diviſ.* §. *1. n. 5.* Idque ad anguſtiarum ſuarum, in quas adducti ſunt, ſolatia *l. vectigalia 10. C. de vectigal. & l. 11. C. vectigal. nova inſtit. non poſſe,* vel ad compenſanda diſpendia, quæ pro publicis neceſſitatibus tolerant. Et hoc nemini durum videatur, quamvis libertati commerciorum præjudicet, quandoquidem id libero tranſitu abundè penſatur *videat.* Dn. Strauch. *de imperio maris. c. 3.* §. *1. 2. & 3.* Struv. *exerc. 1. th. 56.* Accedit huc & illud, quod maris protectio, & ab aggreſſurâ piratarum defenſio *arg. l. 3. ff. de Offic. Præſid. l. 13. in fin. pr. eod. l. 1.* §. *ques quoqve ff. de Offic. Præfect. Urbi.* item onus juvandæ navigationis per ignes nocturnos, & brevium ſigna, portuum arte extruendorum, ſi naturales non ſint, ad eos pertineat, idcirco ratio ſuadet, ut emolumenta inde provenientia eosdem ſequantur per *l. 10. ff. de reg. Jur. l. 22.* §. *3. C. de furt.* 72

furt. c. qui sentit de reg. Jur. lib. 6. *Conf.* Joh. Marquard. *de Jur. mercat. lib. 2. c. 3. n. 96.* Inde quo magis securi sint à metu naufragii navigantes, eriguntur vascula eminentia, in quibus ignis asservatur, ponuntur stipites coronati, corbes impositas in summitate ostentantes Backen, pali introrsum adacti, Kapen. Extructam etiam videmus *Pharon* Thurm darinne ein Nachtlicht den Schiffenden zu gute gehalten wird. Similiter, quo periculosa loca declinentur, ibidem tonnæ anchoris sustinentur, quæ supremà parte in orbem desinunt & latæ sunt; inferiore graciles & pice perlinitæ. Albæ tonnæ indicant arenosa loca, & ubi commodè anchoras jacere possunt nautæ, signum anchoræ apparet, scopuli vero cæci signo crucis † notantur. *vid.* Stypman. *p. 2. c. 4. n. 246.*

73 Si quis igitur omiserit denunciationem, statim quidem merces incidunt in commissum *l. 14. l fin. §. 1. ff. publ. vect. & commiss. l. 2. C. eod l. 3. C. de naut. fœn.* quamvis immunitatem habeat *l. 4. §. d. t.* Peregrin. *de Jure fisci lib. 6 tit. 5. n. 31.* Koppen *dec. 50 n. 13.* D. Struv. *exerc. 39 48* Debet enim mercium transportationem publicanis intimare, & profiteri, schedulamque immunitatis den Paßbrieff/ Freyzedel, Zollzedel petere Koppen *de loc* Joh. Marquard *d lib 2 c. 4. n. 45.* ubi tradit, quod hodie necesse sit, ut Magister navis à sui loci Magistratu literis commeatus aut passus maritimi, ut vocant, epistolaque (assertoriâ vulgo certificationem appellant) instructus sit, vel inventario ac de signatione mercium omnium navi impositarum in Instrumento contractus nautici ritè confectâ ac professione speciali quæ ex visitatione & exœussione navis rectâ deprehendatur & solu-
74 tione justi vectigalis impleatur; Sed quoad possessionem auferendam opus est sententiâ declaratoriâ *per l. defensionis 7. C. de Jure fisci. lib. 10.* Cujac. *ibid.* Bartol *in d. l. 14.* Gail. *lib. 2. obs 51. n. 5 & lib. 2. de P. P. c. 3. n. 11.* Mynsing. *cent. 5. obs. 29 n. 7.* Ayrer *in poceff c 5. obs 3 n 14.* Dn. Struv *d. exerc. 39. th. 51.* Treutler, *vol 2 disp. 18 th 9 lit.* D. Joh. Mar-
75 quard *de Jur. Mercat lib. 2. c. 4. n. 3.* non attenta ignorantia cum facilè certior fieri potuerit, imò supina, & affectata non relevat *d l fin. §. 5 ff. de publ. & vect & commiss* Scire enim aut scire debere paria sunt, *text. in l. quod te, ubi* Baldus *5. n. 2. ff. si certum petat. text. in l, 19 ff. de reg. Jur.* Gail. *de pac publ. c. 1. n. 11.* Eberhard Spekhan. *cen 2 class. 2. quæst. 7. §. 13.* Nec tenetur Gabellarius admonere vel instruere trans-
79 vehentes *d. l. ult. §. 6. de publ.* Bocer. *de Regal. c. 2. n. 207.* Confiscantur

tur quoque naves, quæ merces prohibitas invehunt *l. 11. pr. & §. 2. 3. d. t. l. 2. C. quæ res exportari,* Peregrin. *lib. 6. d. tit. num. 28.* Zoesius *ad ff. h. t. num. 21.* Si verò, Domino Navis ignorante, res illicitæ transportentur pœna tenet authores, navis verò in commissum non cadit *per d. l. 11. §. 2.* & contrà *l. 8. §. 1. ff. eod. l. 52. §. fin. l. 59 §. 1. ff. pro socio.* Joh. Marquard *de Jur. Mercat. lib. 2. c. 4. num. 27.* Dn. Struv. *d. exerc. th. 50.* Similiter sentiendum de commodatore, nisi delicti conscius sit per ea, quæ adducit Ferrar. *in form. libelli super solutionibus pedagiorum fol. 259. num. 6.* Ubi tamen addit indistinctè in Practicâ confiscari naves cum mercibus, sed Dominum navis regressum habere contra recipientem. Deinde amittunt naves ii, qui neutralitatem sequentes ad hostes annonam, vel bello necessaria abducunt, præprimis si prænoniti fuerint, ut id non inconcinniter confirmat *c. 10. c. 14. q. 5.* his verbis: 77
Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quam gravari alterum. Exempla refert Hugo Grotius *de J. B.* & P. *in not. ad num. 5 lib. 3. cap. 1.* Et prudenter Elisabetha Regina Angliæ certis quibusdam mercatoribus conquerentibus spoliatas à Classe Anglicâ suas naves contra pacta, quibus cautum, ut illis civitatibus Hanseaticis, earumque mercatoribus liceret amicos esse hostibus Angliæ respondit: Non esse hoc cum utrisque colere amicitiam, si alteros lædas; juves alteros. Imò hoc esse auxiliari hostibus, & cum his adversum alios facere. Jac. Aug. Thuan. *lib. 96. hist.* quem refert Marquard. *de Jur. Merc. lib. 1. c. 16.* Porro *num. 29.* proscriptionis periculum incurrunt Naves, quæ sub Potentiorum titulis, & insignibus falso navigant, ut publicis oneribus exemptæ intelligantur *l. 1. c. de navib. non excusand. l. 10. C. de SS. Eccles.* Est & illud hic notandum, si navis 78 duorum Dominorum reficienda ab alterutro communi nomine refecta 79 sit; Socius vero intra quatuor mensium spatium partem impensarum restituere cessaverit, illum domino excidere, reficientiq; ex Oratione *Divi Marci* navem in solidum adjudicari per *l. 52. §. 10. ff. pro socio. l. 4. C. de ædif. privat.* Benevenut. Straccha *in tract. de navibus p. 2. num. 8.* Joh. Marquard. *de jure Mercat. lib. 2. c. 5. n. 20.*

Hic convenienter quæri potest, an Magistratus, aut princeps territorii vel Maris teneatur spolitatis damna in suâ ditione illata re- 80 sarcire? Nobis res distinctione expedienda est. Aut iter facientes respectu personæ suæ nullum solvêre vectigal, qui a Piratis invasi vitam redemerunt pretio, tunc ad emendationem damni Princeps non

tenetur, ſed his ſatis fuerit, ſi fungatur officio in perſequendis hujusmodi latronibus, furibus, & piratis ſecundum ſuum poſſe, etiamſi malefactorem exhibere non valuerit per text. expreſſum in *Novell. 134. c. 4. verſ. ſi enim præter hæc*, Baldus *ad tit. 53. §. conventicula n. 7. lib. 2. feud.* Aut ob ſalvum conductum impetrandum penſionem aliquam, puta vectigal, aut Guidagia, (quod verbum barbarum eſt, eoque *Gloſſæ in c. ſupra 26. v. pedagia X. de verbor. ſignific.* tradit, ſignificari, quod datur pro ductu per terram alicujus, ut ſecurus vadat) præſtiterint ratione perſonæ ſuæ, & mercium, quæ transvehentur, & tunc ſi in ejus territorii viis publicis vim patiantur, obligatus eſt eos in perſonâ rebus ſalvare, dummodo conſuetam viam ingreſſi ſint. Ita cautum eſt *Receſſu imperii habito Auguſtæ Vindelicorum de Anno 1559.* p. 2. Verba ita ſonant: Setzen, ordnen und wollen, wofern von Churfürſten, Fürſtenſtanden, oder einiger Obrigkeit die ſey wer Sie wolle, jemands Geleit gegeben, und derſelbe darüber auf derſelbigen Churfürſten, Fürſten-Stände, oder Obrigkeit, Geleit-Straſſen thätlich angegriffen, und beſchädigt, daß der Stand, ſo ſolch Geleit gegeben, nach Geſtalt ſolch Geleites den Beſchädigten ſeines Schadens Erſtattung zu thun ſchuldig ſeyn ſolle. Et ita judicatum eſſe in causâ quadam contra Epiſcopum Herbipolenſem, quod damni reparatio facienda eſſet, teſtatur Gail. *2. obſ. 64. num. 1.* Cui ſententiæ firmiter adhæret Niellius *diſp. feud. 11. th. 4. lit. B.* Vel ſi ſcivit Robariam, & potuit providere, vel prohibere, ſed omiſit, hoc caſu dubium non eſt, Principem ejus territorii teneri ad omnia damna, quæ tranſeuntes, vel navigantes paſſi ſunt, qui enim potuit impertiri auxilium ei, in quem irruunt Prædones, id autem negligit, invadentes fovere. & culpæ eorum particeps eſſe videtur *per text. in c. dilecto filio de Sententiâ excommunicationis in 6. can. non in inferenda 23. quæſt. 3. add. text. in l. 1. verſ. domus vero C. de falſa monet. & Nov. 134. c. 4.* Ita ſentiunt: Bart *ad l. ne quid 7. n. 2. ff. de incend. ruin, naufr.* Abbas *ad c. 1. n. 8. X. de reſtit. ſpol.* Jacob. de Belviſo *ad d. Novell. 134. §. quoniam vero, & quos citat* Bocer. *de Regal. c 2. n. 159.*

81 Extra prædictos caſus non tenetur Princeps, vel magiſtratus territorii, vel maris, etiamſi vectigal exactum fuerit, quod non penditur pro ſecuritate præſtandâ, ſed pro tranſitu *vid. l. 10. C. de vectig. l. 1. C. vectig. nova inſtit. non poſſe* Etenim nulla obligatio eſt vera, & efficax, quæ non aut jure civili aut prætorio conſtituta, vel recepta

ſit

sit, §. *omnium autem Inst. de obligat.* Hinc pacta nuda obligationem non pariunt, nisi speciali lege sint confirmata, quæ dicuntur legitima *l. 6. ff. de pact.* quale v. gr. est pactum donationis, & pollicitatio dotis *l. si quis, 53. §. ult. C. de donat. l. 6. C. de dot. promiss.* In jure autem nostro nullum habemus fundamentum, ex quo obligationem in principem ad rapinam resarciendam deducere possimus, id ergo sine lege affirmandum non est per *text. in l. 5. pr. ff. de probat.* & erubescimus sine lege loqui *Novell. 18. cap. 5. pr. l. ult. in fin. C. de Consul.* & quod expressè & disertè sancitum non est, minimè statuendum, & sanè qui loquntur sine Lege, nimis altè volant sine pennis, idcirco non mirum, si veluti Icarus cadant, ut infert Cagnolus *in l. frater à fratre num. 226. ff. de condictione indeb.* Deinde nulla est obligatio, quæ non ex causâ aliquâ, & regulariter quæ non ex facto aliquo obligati præcedente nascatur: nec ulla officio Judicis, Prætoris imperio, vel legis potestate confirmatur, quæ non propriis viribus consistat, ut loquitur *Papinianus* i. e. quæ non ex propriâ causâ constituta sit *l. obligationes 27. ff. de obl. & action.* Causæ seu facta obligatoria principalia, seu ordinaria quatuor à Justiniano recensentur: Contractus, quasi contractus, maleficium, & quasi maleficium §. *2. Inst. d. obligat.* ex contractu, vel delicto non tenetur ad resarciendum damnum, quia neutrum horum inter Dominum, & spoliatum intercessit, neque ex quasi contractu obligatus est, quippe cum neque sub *tit. Inst. de oblig. quæ quasi ex contr. nascunt.* neque alibi usquam quasi contractibus hæc etiam associetur species. Denique neque ex quasi maleficio; licet enim culpæ Dominus insimuletur, quod non Provinciam à malis hominibus purgaverit, & dispositos milites stationarios habuerit ad tuendam populariorum quietem, & referendum sibi, quid ubique agatur *l. 3. ff. de Offic. præsid. l. 13. eod. l. 1. §. 12. ff. de Offic. Præfect. Urbi l. 2. §. 8. de Offic. Præfect. Prætor. Aphr.* Bartol. *in l. 7. num. 2. ff. de incend. ruin.* tamen nullam ex eo obligationem, & actionem privatam lege, aut constitutione constitutam deprædatis reperimus, quæ alterum requisitum quasi delicti, ex solâ enim culpâ quasi delictum non æstimamus, nemo verò sine actione experiri & consequi aliquid ab invito adversario potest *l. si pupilli 6. §. ult. vers. certe ibi quoniam &c. ff. de negot gest. & l. qui servandarum 14. §. fin. ibi non sibi occurrere ff. de præscript. verb.* Pro hac opinione negativâ stringit Bocer. *de regal. c. 2. n. 156. & 157.*

82 Posteaquam, quomodo naves publicatione amittuntur, brevi-
83 ter egimus, sequitur nunc Naufragium. Illud contingit vel casu, vel
84 culpâ Magistri, cujus mentionem in ultimo capite habebimus. Est itaque Naufragium, quando Navis vi Maris, aut infortunio frangitur,
85 *l. 7. ff. de incend. ruin. nauf.* Si verò bona eorum, & tabulæ quassatarum, scopulisque illisarum navium expulsæ fuerint ad littus, vel si
86 quando terram reliqua attigerint, ad Dominos pertinent, nec vindi-
87 cantur Fisco, cum nullum jus habeat Fiscus in alienâ calamitate, ut de re tam luctuosâ compendium sectetur *l. 1. C. de naufr.* Recte Bodinus *de Republ. c. 10. barbarum*, inquit, *& antiqvis usitatum est, ut cujus opes, ac fortunæ naufragio misere perierint, & quem nostris opibus sublevare debeamus, ejus reliquias, quas ad littus ejectas bonâ fide restitui oportebat, turpiter diripi patiamur. Sic tamen*, inquit, *vivitur, ut qui Portus habent, eam crudelitatem tum in cives tum in peregrinos exequantur. Jus quæris? Error jus facit: At si non peccatur errore, sed scientiâ, scelus est, quod erroris specie prætenditur.* Hæc ille. Unde merito Consuetudines illæ, corruptelæ oppidò barbaræ, & inhumanissimæ, & statuta circa nautas recepta, ut eorum bona in commissum cadant, si naufragium fecerint, & domino territorii addicantur, ipso etiam nautâ in periculum capitis tracto, damnantur, tolluntur, annihilantur, & in perpetuum per Constitutionem Friderici Imperatoris, quæ incipit *Navigia C. de furt.* ne unquam in usum redeant, cassantur, in
88 contravenientes bonorum publicatione statutâ. Id quod Carolus V. Imperator memoriæ glorioſissimæ per art. penult. Constitutionis criminalis prohibuit. Ut & Pontifex sub pœnâ excommunicationis *in c. X. de raptorib.* ablata reddere jubet. Consuetudines enim directò rationi naturali & legi Civili contrariæ introduci aut ex longo tempore confirmari nequeunt *c. mala consuetudo dist. 8. text. in l. quod non ratione ff. de legibus*, afflicto afflictio addi non debet *text. in l. 14. ff. de Offic. Præsid. conf.* Joh. Marquard. *de Jure Mercat. lib. 2. c. 4. n. 8. & seqq.* Inde mandata sine clausulâ in Camerâ Imperiali contra talem barbarum morem decerni testatur Gail. *lib. 1. obs. 18. n. 6.*

89 Quapropter antiquis semper religiosum fuit bona Naufragorum in publicum addicere, sed ut suas res ruptas deperditasque cuique liceat repetere, piè permisere, quin, ut facilius, si naufragium in remotioribus locis contigit, recuperare possent, testes producere ante litis contestationem, etiam parte alterâ non citatâ, indulserunt *l. 7*

ff. d

ff. de incend. ruin. nauf. Gail. *d. obſ. num. ult.* Hart. Harm. *15. obſ. 8.* Et 90
quoniam navigatio periculoſa eſt frequenterque fluctus, & procellæ eveniunt periculum naufragii ſecum attrahentes; ideo nautis locatoribus in hiſce caſum probare ſat eſt. Sic in *l. 2, C. de naufr.* cavetur: Si navicularius naufragium ſe ſuſtinuiſſe affirmet. Præſidem Provinciæ, in quâ res agitur, adire feſtinet, ac apud eum teſtibus eventum probet: relatioque etiam ad ſublimiſſimam referatur præfecturam. Teſtes autem in cauſâ Naufragii intra annum ſunt produ- 91
cendi, nam ſi per negligentiam præfinitum anni ſpatium effluxerit, amplius admitti non poſſunt, rationem ſuggerit Peckius *ad d. l. 2. C. de naufrag. num. 2.* Item quoties obruta vel ſubmerſa fluctibus eſt navis, examen competentis Judicis adhibeatur, & duorum vel trium quæſtione habita, cæteri ab hujusmodi nexu liberentur *l. 3. eod.* Quam- 92
vis communiter domeſticum teſtimonium non admittatur, tamen in d. lege nauta idoneus teſtis in causâ Naucleri ad probandum naufragium cenſetur. Cum enim per alios ſcientia geſtorum in navi vix 93
poſſit haberi *arg. l. 8. C. de repud.* teſtimonium vectorum, aut ſi illi non adſint, nautarum probatæ fidei eſt legitimum *conf.* Straccha *de nautis p. 5. quæſt. 2.* Ayrer *in proceſſu c. 9. obſ. 5. num 34.* Imò Judex ex 94
animi ſui motu credere poteſt teſtibus & obſcurè deponentibus, & ſingularibus, & denique iis, quorum fides teſtimonii aliàs improbatur, Joh. Marquard. *de jure Mercat. lib. 2. c. 13. num. 75.* Si verò univerſos 95
violentia tempeſtatis obruerit, ne veritas lateat, etiam liberi nautarum, ſive magiſtrorum intra judicia conſtituti ſuper eorum interitu, quos navicularius naufragio periiſſe contendit, examinari poſſint *d. l. 3.* cum enim liberi parentibus ad navigationem ſeſe accingentibus communiter adeſſe ſoleant, notitiam eorum, qui navem conſcenderunt, facilè habere præſumuntur. Peck. *ad d. l. 3. de nauf. num. 2.* Joh. Marquard. *de jur. Mercat. lib. 3. c. 9. n. 10.*

Plerumque Maris periculum nautæ ſubterfugiunt, ſi levandæ 96
navis causâ, tempeſtate obortâ, merces aliquas projiciant. Quibus 97
damnum paſſis adjumento, & ſubſidio debent eſſe ii, quorum merces per hunc jactum ſalvæ ſunt *l. 2. pr. & §. 1. ff. de Leg. Rhod. de jact.* Ut autem paucis explicem, qui conferant, & quomodo calculi ſint 98
ſubducendi, hic locus quodammodo flagitat. Conferre debent omnes, quorum interfuit, etiam ipſe exercitor, cujus navis ſervata *l. 2, §. 2. d. t. de L. Rhod. Magnif.* Dn. Brunneman. *quaſt. 2. eod.* Nec

immunis est is, cujus merces sunt jactæ, *vid.* Bald. *ad l. 1. ff. de L. Rhod.* & Specul *lib. 4. tit. de censibus §. nunc dicendum 14.* eamque tueri videtur *text. in d. l. 1. & l. 2. vers. placuit ff. de L. Rhod. l. rem pignori 28. ff. familiæ herciſc.* Sic *in d. l. 1.* dicitur, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum est; nam ſalvum ei est, quod à contribuentibus consequitur, quod ſi absque jactu fuiſſet, haud ſervaſſet, alias nullum pateretur damnum, ſi æſtimationem rerum deperditarum consequeretur, ſed hi, qui ob jactum ſalvas retinuerunt merces, contributione tantum inter ſe inſtitutà *Magnif.* Dn. Brunnem.
99 *quæſt. 6. d. t.* D. Struv. *th. 20. eod.* Veniunt in contributionem, quæ nunc Avaria vulgò Haverey vocatur, Marquard *d. lib. c. 4. num. 4.* omnes res æſtimabiles, etiam quæ navim non onerant, ut gemmæ, margaritæ *l. 2 §. 2. d. t* Item inſtrumentum Navis removendi communis periculi causâ dejectum *l 3. d. t.* Quia id tributum ſervatæ res
100 debent, exceptis libero corpore, & cibariis quia hæc omnium gratiâ ſunt impoſita: æſtimationem non recepit *d. l. 2. Magnif.* Dn. Brunnem. *queſt. 3. &* Struv. *th. 15. d. t.* Servorum autem, qui
101 in mari periere, non fit contributio *d. l. 2. §. 5.* Sic pretio rerum amiſſarum, & ſalvarum in unum collato, ita tamen, ut damni tantum ratio in amiſſis ſit habita *d. l. 2. §. 4.* damnum æqualiter communicatur, ſi collatio æqualis fuerit; ſin inæqualis ſit; pro ratâ ejus quod quisque in navim immiſit, partes fieri debent; non proportione Arithmeticâ, ſed Geometricâ *d. l. 2. pr.* Rationem autem contributionis ſic confici poſſe arbitror: Fingamus Titium, Sejum, Mevium & Sem-
102 pronium Mercatores quater mille modiis frumenti navem oneraſſe, quod æſtimatur 1647 aureis: Ad Titium ſpectant $\frac{2}{3}$ ad Sejum $\frac{3}{4}$ ad Mevium $\frac{4}{5}$ & ad Sempronium $\frac{5}{9}$ è frumento Titii pars jacta eſt, quæ valet 300. aureis, & Sejus damnum accepit 249 aur. Mevii vero, & Sempronii frumentum ſalvum eſt. Subducto calculo juxta regulam Societatis Mevius ad reſarciendum damnum 144. Sempronius 150. aur. conferre tenentur. De quibus 294 aur. Titius 180 capiet ratione amiſſorum aureorum 300. reliquos 120. aureos facit damnum, quibus ſi addantur 60. aur. conficietur ſumma 360. vel $\frac{2}{3}$ quibus conſtitit frumentum ſuum. Sejus verò tollit 114. aur. 135. aureis pro ratâ contribuendâ carebit. Impoſito calculo, ſi 156. aur. etiam in computationem veniant, apparebit ſumma 405. vel $\frac{3}{4}$ Mevio verò, cujus frumentum conſtitit 432. aur. ſuperſunt 288. & Sempronio 300. aurei, cujus frum. æſtimatum

tum fuit 450. aur. Idem juris est, si nauta unius Mercatoris merces, cum omnes essent auferendæ, indicaverit, ut omissâ omnes merces perquirendi curâ, cæteras servaret *arg. l. 2. pr. vers. æquissimum ff. d. L.* Rhod. Straccha *de naut. p. 5. c. 5.*

Sed quid, si res alicujus in navi deteriores factæ sunt, num- 103
nam itidem portio amissarum rerum ad eum spectat, an vero ipsimet conferendum, ne scil. duplici oneretur damno, collationis, & quod deteriores res factæ sunt? Et placuit, conferre oportere eum, si ab extrinsecâ causâ damnum acciderit puta quod jacuerint in eo loco, quo unda penetrare potuerit, habito tamen respectu ad pretium rerum præsens *l. 4. §. ult. ff. d. t.* Sin jactus inundatis rebus detrimentum intulerit, distinguendum est, utrum plus sit in collatione, an in damno i. e. si decem sunt contribuendi aurei, damnum autem est duorum, deducto hoc quod passus est damnum, reliqvum conferendum *d. l. 4. vid.* Dn. Struv. *exerc. 20. th. 22.* Nec illi sese subducere possunt collationi earum mercium, quæ sunt jactæ levandæ navis causâ. qui postea submersâ navi merces suas per urinatores datâ mercede servaverunt *d. l. 4 §. 1.* Quod genus hominum ita dicitur, quod urinentur, id est, mergantur, & sub aquis natent, illorum solemne, ac præcipuum officium fuisse, *Callistratus* ait, merces pro mercede è mari extrahere, quæ levandi navigii gratiâ ejectæ erant, vel naufragio submersæ. Quæsitum quoque est, quando navis onusta flumen intrare nequit, sed merces in scapham exponendæ sunt, si submergatur, an contributioni locus sit perinde ac si jactus factus esset? Quod affirmatur. Si vero scapha salva sit navis vero pereat, contrarium dicendum est *d. l. 4. pr. de Leg. Rhod.* Zœsius *ad ff d. t. n. 7*

Datur eo nomine illi cujus merces jactæ sunt, actio ex loca- 104
to contra Magistrum navis, non ut ipse resarciat, sed ut contra Vectores experiatur, eorum sarcinas, si quas habent, retinendo, donec portionem damni præstent, vel agendo ex conducto, aut potius locato, si loca conduxerint, & annulos, vel pecunias secum gerstent, *l. 2. pr. d. t.* Dn. Struv. *d. loc. th. 24.* Joh. Marquard. *de jur. Mercat lib. 3. cap. 4. num. 16*

Denique ad ultimum duo hic subjungo: Alterum est Navibus 105
longis, atque onerariis propter belli usum postliminium esse, non Piscatoriis, aut si quas actuarias voluptatis causâ paraverunt *l. 2. pr. ff. de capt.*

de capt. & postl. Hodie postliminio non redire notat Vinnius *ad Inst.*
106 *§. 5. num. 2. quibus modis jus patr. pot. solv.* & Joh. Marquard. *de jure Mercat. lib. 2. c. 5. num. 75.* Alterum, personis Nauticis in classe militari vel navi bellicâ existentibus jure militari testari licere, quia omnes nautæ & remiges in classibus milites sunt *l. unic. §. 1. de bonor. poss ex testam. milit.* Vinnius *ad § uit. Inst. de milit. test.* Ita JCtus ait, Navarchos, & Trierarchos classium jure militari posse testari nulla dubitatio est. Idcirco eadem, quæ jam de testamento militari tradunt, commodè huc referri posse, existimandum.

CAPUT IV.

De debito circa rem nauticam.

SUMMARIA.

1. Connexio.
2. Debiti nautici definitio.
3. Navigantium tria genera.
4. Naviculariі quando à muneribus excusentur.
5. Immunitati eorum certa forma est præscripta.
6. An à patrimonialibus etiam immunes sint? Aff.
7. An is, qui, antequam in collegium naviculariorum assumeretur, ad munus municipale vocatus est, subire teneatur? Aff.
8. Pro navibus conductis debetur merces.
9. Quid Juris, si navis certæ capacitatis aversione conducta pro mille aureis, tantæ postea capacitatis non reperiatur?
10. Ratio decisi ad hanc quæst.
11. Emtores & venditores se invicem licitè decipere *possunt.*
12. Imo etiam locatores & conductores.
13. Quod de Jure quoque Can. non est prohibitum.
14. Modò absit dolus ex proposito.
15. Et deceptio modica sit.
16. Quæ industria potius, quàm fraus est.
17. Et homini naturalis, neq; vituperanda.
18. Absque quâ mercatus langveret.
19. Explicatio vocis, naturaliter, *in l. 16 §. 4. de minoribus.*
20. Quid Juris, si locator restrictivè dixerit certam mensuram capere, pretiumque ad capacitatem relatum sit?
21. Quid Juris, si navis aversione conducta, non expressâ certâ vecturâ?
22. Si navigatio sit impedita, an merces præstanda?

23. Nih

23. *Navem conducens à Domino prædoni non rectè solvit.*
24. *Contrà verò, si à prædone.*
25. *Privilegium Magistri in merces vectas pro pensione navis.*
26. *Ratio privilegii.*
27. *Nautæ ad quid teneantur.*
28. *Ratio hujus eorum obligationis.*
29. *Quando ista obligatio cesset.*
30. *Actione quoque* de recepto *tenentur ex Edicto Prætorio.*
31. *Edicti Prætorii caput alterum.*
32 *Edictum istud Prætorium minimè supervacuum est.*
33. *Actio isthæc cujus naturæ sit?*
34 *Dicitur etiam in factum.*
35. *Cui res restitui debeant?*
36. *Non requiritur præsentia Exercitoris, quando inferuntur merces.*
37. *Scientia autem factæ illationis omnino requiritur.*
38. *Ratio.*
39. *Cui detur actio hæc?*
40. *Datur hæredi & in heredem.*
41. *Probatio rerum amissarum incumbit actori.*
42. *Consectarium.*
43. *Quando in litem contra exercitorem juretur?*
44. *Qvando executor in solidum teneatur?*
45. *Actio etiam* in factum Prætoria *vectoribus datur.*
46. *Quando exercitor eâ pulsari nequeat?*
47. *Quid si plures sint exercitores?*
48. *Pœna hæc dupli exolevit.*
49. *Dictæ actiones Prætoriæ non tollunt ordinarias ipso Jure.*
50. *Quale privilegium habeant, qui ad fabricanda mreficiendam vel emendam navem crediderunt?*
51. *Actio* Exercitoria *datur contrahentibus cum Magistro navis contra Exercitorem.*
52. *Ratio.*
53. *Requisita hujus actionis.*
54. *Nauta quoque de* nautico fœnore *convenitur.*
55. *Duo genera nautici fœnoris secundum Pollucem.*
56. *Istud fœnus Jure quoque Canon. permissum.*
57. *Usuræ nauticæ sunt majores terrestribus.*
58. *Ratio.*
59. Assecuratio *quid?*
60. *Inde oritur actio assecuratoria.*
61. *Si in ostio portûs merces trajiciantur in scapham, & pereant, quid Juris?*
62. Beneficium l. 2. C. de rescind. vend. *non habet locum in Assecuratione,*
63. *Ratio.*

HActenus Dominium nauticum, & quæ circa illud consideranda 1
veniunt. Succedit Debitum. Et est, quod ratione rei nauticæ
rem nauticam exercentibus debetur, vel quod aliis debent. Sunt au- 2
tem triplicis generis; Primò ii, qui piraticam pravitatem exercent, 3

peſſimum genus hominum, ut in *Auth. Navigia C. de furtis & in l. poſtliminium* §. *2. ff. de captiv.* Quibus eſt interdicta navigatio, & poſſunt hi à quibuscunqe capi, ac ſpoliari Angel. *conſ. 290. incipit thema eſt tale*, de quibus ſuperiore capite egimus. Secundo Naviculariі, qui annonæ urbis ſerviunt, & annonarias ſpecies delegatas transferunt, *tot. tit. C. de navicul. l. 5.* §. *3. ff. de jur. immunit.* Alia autem erat Naviculariorum functio, quæ omnibus indifferenter incumbebat, ab annonæ transvectione, quæ a Juſtiniano, Sacra embola dicta videtur, *l. 10. C. de SS. Eccleſiis & l. ult. C. de navib. non excuſand.* Et erant annonæ Civiles, militares, expeditionales, civicæ, vel populares, de quibus conſulatur Dn. Strauch *diſp. de imper. Maris c. 6.* §. *4.* Hinc etiam naves annonariæ fuerunt dictæ, quæ frumentum variis ex locis advehebant, ut exemplis probat Thomas Dempſterus *in paral. ad Roſin. l. 7. c. 38. junct. c. 32.* Tertiò denique, qui mercaturæ operam dant, vel meritorias naves habent.

Illi immunitatem à vectigalibus *l. 6. C. de vectigalib. Magnif.* Dn.
4 Brunnem. *repet. Weſenb. ff. de publ. & vect. quæſt. 5 &* à muneribus publicis conſequuntur, quamdiu in ejusmodi actu ſunt, nam remuneranda pericula eorum, quin etiam & præmiis hortanda placuit: Ut qui peregrè muneribus & quidem publicis cum periculo, & labore funguntur, à domeſticis vexationibus & ſumptibus liberentur *d. l. 5.* §. *3. ff. de jur. immunit.* nec concuſſiones perpeti oportet, nec aliquid genus incommodi, ſed venientes & remeantes omni ſecuritate potiri
5 *l. 2. de navicul.* Verum huic immunitati certa forma præſcripta eſt, ut qui ejusmodi privilegio frui geſtit, majorem fortunarum partem in re nauticâ contulerit, adeò quod ſi Patrimonium incrementum acceperit, hujus ratio haberi debeat, nec ſi in eadem quantitate perſeveravit, privilegio ſibi indulto gaudere liceat per *d. l. 5.* §. *4. &* 8. Alioqui videtur in fraudem munerum naviculariі imaginem induiſſe §. *9. d. t.* Huc pertinet quæſtio, an à Patrimonalibus etiam *im-*
6 munes ſint? Quod affirmandum exiſtimamus per *d. l. 5.* §. *3. & 6.* æquum enim eſt, ut gaudeant in bonis, qui de bonis ſerviunt, & cum hoc onere teneantur, debeant in alio levari & non gravari. Hanc af-
7 firmativam calculo ſuo confirmat Straccha *de mercat. n. 54* Huic vicina eſt quæſtio, an is qvi, antequam in collegium naviculariorum aſſumeretur, ad munus municipiale vocatus eſt, ſubire teneatur? Quod affirmatur *d. l. 5.* §. *7.* Idem placuit compellendum eum eſſe

publi-

publica munera ſubire, qui poſteaquam in corpus navicularіorum allectus eſt, decurionatus honorem agnovit. § *13. d. t.*

His merces debetur pro Navibus conductis per averſionem, 8
vel in perpetuum, ſive ad tempus, vel naulum, aut vectura pro rebus, & perſonis vehendis *l. 10. pr. & §. 2. ff. de Leg. Rhodia de jactu.* Et quando navis certæ capacitatis averſione conducta eſt mille au- 9
reis, vectura debetur, etiamſi navis minoris fuerit, quam pro qua habeatur, quia capacitas tantum rei demonſtrandæ addita fuit, & 10
contrahentes ſe ad navim retuliſſe, omiſſa ejus capacitate, videntur *Magnif.* Dn. Brunneman. *repet. Weſenb. ff. de peric. & commod. rei vend. quæſt. 9.* contractus enim legem ex conventione accipiunt *l. 1. §. 6. ff. depoſ. l. legem 6. C. locat. l. juris gentium 7. §. quinimo ff. de pact.* & ſicuti in emendo, & vendendo contrahentes poſſunt natu- 11
raliter ſe mutuò decipere: ita in locationibus quoque, & condu- 12
ctionibus juris eſt *l. 22. §. 3. ff. locat. l. in cauſa 16. §. pen. ff. de minorib.* neque jure Canonico, quod tamen rationem conſcientiæ ſe habere 13
profitetur *c. ult. X. de præſcript. c. 2. de pact. lib. 6.* improbatur *c. 3. & pen. X. de empt. ibique* Canoniſtæ. Ideoque in foro Conſcientiæ locum habet, maximè in mercatoribus Bald. *in rubr. C. de contrah. empt. num. 12.* Salic. *in Auth. Adhæc. C. de uſuris,* modo ne dolus ex propoſito intervenerit; Jus enim civile dolum & fraudem non admittit, 14
quibus potius ubique, quantum fieri poteſt, reſiſtit, & occurrit *arg. tot. tit. ff. quæ in fraud. credit. & tit. ff. ſi quid in fraudem Patron.* Deinde modica ſit deceptio, quæ jure Gentium, quo commercia, & emp- 15
tiones introductæ ſunt. *l. 5. ff. de juſt. & jure,* relinquitur impunita, & jure permittitur, quamque mutuâ, & tacitâ quâdam indulgentiâ contrahentes ſibi invicem remittere videntur. Quæ conventio non eſt 16
fraus vel dolus, ſed eſt induſtria, ac ſolertia quædam œconomica, ſtudiumve aliquod rei familiaris augendæ abſque alterius incommodo, ac detrimento, dum emptor, quod pluris eſt, minoris emere venditor, quod minoris eſt, pluris vendere tentat ſecundum *l. 22. ff. locat.* Quæ induſtria, ac vigilantia in rebus propriis ac ſuis commodis augendis homini 17
naturalis, & laudabilis potius, quàm vituperanda eſt, Et ſanè, ſi exacta, & Mathematica pretii æqualitas ſemper foret anxiè & nimiâ ſcru- 18
puloſitate ſervanda, mercatus langueret, neque ulla eſſet conventio ſecura: nullusque etiam litium finis, ſi ob quamcunque læſionem concederetur à contractu empt. & vend. perfecto recedere, Man-

tica *de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 20. n. 57.* Cujac. *ad l. 16. de minorib. l. 3. & 6. C. de rescind. vendit. l. 6. C. de act. empt. l. 1. C. quando licet*
19 *ab empt. reced.* Quidam verbum, *Naturaliter, in alleg. l. 16. §. 4. ff. de minorib. & l. 22. §. ult. ff. locat. ex Nov. 97. c. 1.* explicant ἐμπορικῶς, quod est *negotiativè*, sc. permissum est contrahentibus se invicem circumscribere de naturâ contractuum emptionis, & locationis, quemadmodum hoc pulchrè Imperator. *in l. 8. C. de rescind. vend.* ex voto contrahentium demonstrat. Natura ea est, quod pretium rei in emptione ex diversis circumstantiis, nempe loci, temporis, copiæ, vel paucitatis rerum, necessitatis, vel indigentiæ cujusque rei, & similibus variat. Sic in locatione & conductione mensura mercedis est usus, & utilitas rei, cujus variationem facit vel raritas, Vel copia rerum locandarum, Conductorum penuria, vel abundantia.

20 Si verò locator in l. conductionis restrictivè dixerit certam mensuram capere, proptereaque pretium relatum est ad capacitatem, actio conducti datur *arg. l. 6. §. 4. ff. de act. empt. & vendit.* & diminuitur merces pro ratione deficientis capacitatis. Hinc si navis conducta sit secundum numerum amphorarum, vel Metretarum, pretium debetur pro tot amphoris, quot portaverit. *l. ult. §. fin. ff. de Leg. Rhod. de jact.* Quid si Navis duo millium amphorarum sim-
21 pliciter conducta sit, & non omnes amphoras, quarum capax erat navis, imposuerit, nec constet de vecturâ? Juris interpretes hoc in passu inter se dissentiunt: Accursius & Baldus putant, mercedem pro impositio onere tantum solvendam esse, idque *arg. d. l. fin. pr.* Alii contrarium asserunt. Straccha verò, cujus sententia communior, nec improbabilis videtur, profert, *tract. de navibus part. 3. num. 8.* attendendam esse loci consuetudinem, ut si naves, hactenus locatæ fuerint secundum magnitudinem navis, partes juxta illam contraxisse intelligantur. Quia contractus dubii modum, & formam recipiunt à Consuetudine *l. 31. §. 20. ff. de ædilit. edict. l. 6. ff. de evict.* Et omnis dispositio interpretationem recipit ab eo, qvod consuetum est Decius *cons. 442. num. 13.* & ita intelligi debet *d. l. ult. §. ult. de jact. Vid.* Gail. *2. observ. 23. num. ult.*

22 Quia igitur indistinctè diximus, mercedem præstandam esse ob usum navis, quo non præstito, non deberi mercedem, quæstio nobis subnectenda est: an eadem solvenda sit, cum navigatio fuerit impedita? Distinctione res explananda videtur; Utrum navigatio impe-

diatur

diatur culpâ an casu. Culpam circa navigationem contingentem quod concernit, iterum distinguendum, ex parte locatoris veniat, an vero conductoris? Priori casu tenetur Conductori ad totale interesse per *l. 33. l. 35. ff. locat.* Posteriori casu (fortè vetitæ merces, quibus oneraverat navim, in commissum cecidere, & ita navis aliquot mensibus retenta fuit) nihilominus locator vecturam exigere potest *l. 38. l. 19. §. pen. l. 61. §. 1 ff. d. t. l. 161. de reg. Jur.* licet non sit secutus effectus propter culpam obligati mercedis sponsione, tamen obligatio non minuitur, nec extenuatur *c. imputari non debet 41. de R. J. lib. 6.* Si vero casu navigatio non sit confecta, ut si quis mancipia, aut animalia vehenda conduxit, & in itinere omnia vel quædam decesserint, & pro decisione dispiciendum est, quid actum sit: An vectura constituta fuerit pro impositis mancipiis in navi, an pro deportatis, aut ignoretur, quid actum sit. Primo casu precium debetur, etiam pro iis, quæ decesserunt, simulac immissa fuerint in navi transferenda *d. l. 38. ff. locat.* Contractus enim lex jam impleta est *l. si quis 7. C. de instit. & substit.* & id quod casu quis præstare impeditur, pro præstito habetur *l. 3. §. 3. vers. sed si stichus §. 4. ff. de condict. caus. dat. caus. non seq. d. l. 38. ff. locat. l. 1. § 13. ff. de extraord. cognit. l. 8. in fin. ff. de condit. & demonstr.* Si verò vectura pro deportatis ad certum locum promissa sit, non antea debetur naulum, quam ad destinatum locum sint transportata, ideo in itinere mortua in computationem non veniunt per *l. ult. pr. d. l.* Rhod. *de jact. l. 10. pr. ff. de ann. leg.* Quamvis enim per nautam non stet quo minus conditio impleatur, tamen, cum ista mixta sit dependens à facto implere debentis, & a casu mortis, deficit per casum mortis, hic enim dictio *de portatis* importat conditionem, quæ videtur addita in favorem Domini mancipiorum, neque enim Conductor tantum voluntatem locantis consideravit, sed & casum mortis, ut duo conjunctim requisiverit; Facit quod aliàs frustrà apponerentur verba contractibus, quod fieri non debet, sed semper aliquid operari, quocunque ergo modo deficit, nihil debetur, ut etiam notatur per *glossam in l. in testamento ff. de condit. & demonstrat.* quæ dicit, quod si conditio impediatur per casum mortis, deficiat legatum. *Idem glossa in rubr. d. tit.* Tertio denique, quando non appareret, quid actum sit, utrum pro his, quæ imposita, an pro his, quæ deportata essent, merces daretur, tunc in dubio videtur factum pactum pro mancipiis imponendis, non portandis, & ita vectura debetur

d. l. ult de jactu, & ibidem Baldus etiamsi mancipia decesserint transportanda, dictaque *l. 38.* ut in priori casu, locum habet, sicut alias interpretatio contra eum fieri debet, qui alium instruere & legem apertius dicere potuit *l. 39. ff. de pact.* ubi concordat *l. labeo 21. & l. 33. ff. de contrah. empt. vid.* Alex. *cons. 2. col 2. vol. 4.* Straccha *de navib. p. 3. n. 21.* Similiter nihil debetur, si quis mulierem in navi conduxisset, è quâ infans in navi natus est, cum considerato tempore contractus esset unum corpus, nec vectura ejus magna sit, minus quoque his utatur, quæ ad navigantium usum parantur.

23 Cæterùm conductorem navis solutio prædoni facta non liberat, sed condicet Prædoni, ut indebitum, si ex contractu veri Domini solvit per *l. si urbana Prædia 55. ff. de condict. indebit. l. 34. §. 9. ff. de solut. junct. l. 24. ff. de negot. gest. l. 38. §. 1. ff. de solut.* Bartolus & Baldus *in d. l. 55.* Cum sciat illum de navi vi dejectum esse, nec ullam videtur habere excusationem, error enim communis non excusat illum, qui scit de illo errore *arg. l. 3. ff. de Senatus Cons. Maced.* etiamsi verbera metuat, sed debet resistere, quantum potest, non tamen tormentum vel
24 violentiam perferre Dec, *cens. 407. n. 2.* Contra verò si solurum fuerit prædoni ex contractu cum prædone inito, solventis periculum non est, quia actor sine actione non est audiendus, nemo enim sine actione experiri potest *text. in l. si pupilli §. videamus ff. de neg. gest gloss. ibidem in verbo non habuerit. text. in l. quoties §. item si temporali ff. de admin. tut. & curat. & in l. tutores 39. pr. ff. eod. tit. text. in l. si quid 31. §. 4. ff. de pet. hered.* & cum eo, tanquam cum vero Domino navis contraxit *d. l. 55.* ignorante tamen debitore ipsum esse prædonem *arg. l. 88. in fin. ff. de solut.* Straccha *de navib. p. 3. n. 28.*

Illud etiam notabile videtur, quod merces Magistro navis,
25 quas conduxit vehendas, pro pensione navis non tantum nexu pignoris taciti sint obstrictæ, sed etiam prærogativâ aliorum creditorum, quamvis priorum, gaudeat Straccha *de navib. p. 3. num. 29.* Ratio assignari potest hæc, quandoquidem Magister navium transportando merces conservavit salvas, & ita aliorum creditorum jus red-
26 dit pingvius, ita ut allatæ vendi possint & ex pecuniâ inde redactâ tam Magistro, quàm aliis creditoribus satisfieri, & probatur (1.) per *text. l. 5. & 6. ff. qui potiores in pign. habent.* Deinde ibi merces invectæ, & illatæ pro vecturâ jumentorum sunt tacitè obligatæ, merces autem navis æquiparatur cum privilegio prælationis aliorum creditorum,

etiam

etiam anteriorum, mercedi vehiculi per *text. l. 1. §. 7. ff. de vi & vi armat.* Ergo pro mercede navis Exercitori jus prælationis competit. Tacitè verò obligatas esse inde probatur (2) quod navis comparatur prædio Urbano, non Rustico *arg. d. l. 1. §. 7.* ut notat Jason *in l. 18. ff. de in jus vocand.* Ideoque *l. item quia 4. ff de pact. l. 4. ff. in quibus caus. pign. tacit. & l. certi juris 5. C. locat* obtinere debet, quippe ex conductione navis oritur actio ex locato conducto. *l. 3. §. 11. ff. naut. Caup. stab. l. ult. §. ff. d. L. Rhod.* Ant. Negusant. *tract. de pign. & hypothec. part. 2 membr. 4. n. 140. & 141.* Nautis vero, quibus salaria debentur *l. 1. §. 7. ff. de exercit. act.* licet tacita non competat hypotheca in navi pro præstitis operis suis in navis ministerio *vid.* Benevut. Stracha *de nautis p. 5. c. 7.* tamen cum appellatione mercenariorum domesticorum contineantur per tradita Berlichii *part. 1. concl. 44. n. 10.* simpliciter, ac singulariter privilegiati sunt præ hypotecariis *Magnif.* Dn. Brunnem *repet. parat. Wesenb. quæst. 4. ff de privil. Credit.* Dn. Struv. *exerc. 44. th. 45.* & hæc de his, quæ rem nauticam exercentibus debentur, dicta sufficiant. Nunc ad ea, quæ à Nautis præstanda sunt, nos convertimus.

Tenentur è contrario Nautæ ratione vel muneris suscepti, vel 27
conventionis. Primo casu præstare debent operas nauticas scil. ad merces & personas transvehendum, ita ut habeat Conductor cum Nautâ actionem ex locato conducto, si merces, quo destinatæ sunt, non portentur, aut in aliam navem deteriorem, quàm convenerat eas transstulerit, & cum nave perierint, in quâ novissimè vectæ sunt *d. l. ult. §. 2. de L. Rhod.* quâ ad interesse agitur *arg. l. 33. ff. locat.* Quandoquidem per moram tacita quædam potestate juris inducitur novatio, & obligatio in id, quod interest Vinn. *comm. Inst. de verb. oblig. §. fin. n. 1.* Tamen hic locum habet, quod *in l. insulam 84. ff. de verbor. oblig.* dicitur, videlicet quam diu lis nondum contestata est, nautam paratum præstare operas, in obligationibus faciendi audiendum esse, & navigando liberari, quoniam mora in negligendo commissa purgatur, re integrâ *l. mancipiorum 6. in fin. ff. de Option. legat.* Si verò navigationem implere recuset, nec conductor præstationem ejus, quod interest, admittere velit, adhuc compelli potest ad navigandum ut hospes ad hospitandum *l. unic. §. ult. ff. furti adv. n. c. st.* Zœsius *ad tit. ff. Naut. C. st.* Joh. Marquard. *d. tract. lib. 2. c. 5. n. 36* tum quod ut Caponum, & stabulariorum, ita & Nautarum necessarius sit usus in Republicâ

blicâ de quo Plato *Dialog. II de legibus* tum quod ſemper illi *in tit. ff. naut. caup. ſtab. & tit. furti adv. n. c. ſt. à JCto* inter ſe comparen-
28 tur. Nec quisquam putet graviter hoc adverſus eos conſtitutum. Nam erat in illorum arbitrio, ne hoc vitæ genus eligerent, inde pertinet huc brocardica illa Juris Regula, quod ab initio eſt voluntatis, ex poſt facto fit neceſſitatis *l. 5. C. de Oblig. &. Action. vid.* Paris de puteo *in tract. de ſyndic. in verſ. advocat. num.* 3. quem al-
29 legat Straccha *de Nautis part. 5. c. 4.* Aliquando tamen agendi facultas adim tur conductori, ut neque intereſſe, neque pœnam, ſi qua promiſſa, petere poſſit, nimirum ſi caſus ſupervenit in re, vel in perſonâ, cui cauſam non dedit culpa, ut exemplum eſt in caſu naufragii, tempeſtatis, hominis mortui & navis deſtructæ *d. l. ult. de jactu.* Namque hic culpa intervenit in obligatione committendâ, cujus pœnâ caſus ſuperveniens exolvit illum, cum in perſonâ obligata priorem obligationem tollat *l. 4. ff. de impenſis l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam.* Baldus *in l. ult. §. 2. de jact. conf.* Straccha *de nautis p. 4. n. 2. de navig. num. 21.* ubi promittentem pœnam abſolvit, ſi omni culpâ vacat. Sed reſtituere pretium, qvod pro invectis accepit, tenetur per *l. 15. §. 6 ff locat. cond.* Si verò munere vehendi in parte non ſit functus, mercedem integram exigere nequit *§. 7. d. l.*

30 Secundo debent reſtituere res in navi receptas & omne damnum cujuslibet culpâ contingens, præſtare *l. 1. 3. §. ult. & tot. tit. ff. N. C. St.* quarum nomine Prætor edictum propoſuit contra Nautas, cujus Edicti duo capita extant, quorum pars eſt apud *Ulpianum in l. 1. ff. d. t. Nautæ, Caupones, Stabularii, quod cujusque ſalvum fore receperint, niſi reſtituent, in eos judicium dabo.* Et dicitur actio de recepto *l. 1. §. 3 ff. d. t.* Alterum caput hujus edicti per negligentiam com-
31 pilatorum omiſſum reſtituiſſe Baronem refert Weſenbecius *ad d. t.* quod *ad l. 5. §. 1. ff. d. t.* reponendum eſſe non ineptè dixeris. Ex quo datur actio ex quaſi maleficio Exercitoris *l. pen. §. 4. l. ult. d. t. §. ult. Inſt. de obligat. quæ ex quaſi delict l. unic. ff. furti adv. n. c. ſt. l. 5. §. ult. ff. de obl. & act.* Licet verò moveri quis poſſet, ut putet ſupervacuum eſſe
32 hoc Edictum ex eo, quod etiam civili actione ex hac cauſâ agi poſſit *l. 3. §. 1. ff. d. t.* & in factum actiones, cum ſint ſubſidiariæ, non ſint concedendæ, quoties ordinariæ competunt: Nihilominus tamen introductum eſt, ut innoteſceret, Prætorem curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum, & ne rem tanti momenti negli-

gere

gere videretur *l. item apud labeonem 15. §. 26. ff. de injuriis junct. verſ. aliquando princ. Inſt. de bonor. poſſeſſ.* & quia hæc actio in factum plenior eſt, quàm ſunt civiles ex eâdem causâ comparatæ: In eo nimirum quod in civilibus actionibus, quæ hic competunt duntaxat præſtetur dolus, vel culpa *d. l. 3. §. 2. ff. n. c. ſt.* cum hoc edictum etiam tunc locum habeat, cum damnum datum eſt, aut periit ſine culpâ ejus, qui recepit; imo ſi res caſu fortuito perierit teneri adhuc eum ipſo jure, qui recepit, puto, ſed tamen ita, ut ſub exceptione danda ſit in eum actio ſc. ſi non fatali damno hoc contigerit Faber *rational. in d. l. 3. §. 1.*

Hinc actio hæc non bonæ fidei eſt, ſed portius arbitraria *l. 1. pr. l. 3. §. 1. ff. n. c. ſt. junct. §. præterea 31. Inſt. de action.* In eâ igitur caſum for- 33
tuitum præſtari, non eſt novum. Jubetur enim exercitor navis reſtituere recepta arbitrio Judicis, niſi velit condemnari ex bono, & æquo, quanti ea res eſt, quæ ſalva non reſtituitur. Dicitur etiam actio in fa- 34
ctum, quia contractus expreſſus æque non interceſſit. *l. 3. §. fin. d. t.* aliàs confunderetur hoc edictum, quod hic locum habet, cum cæteris contractibus. v. g. locati, depoſiti; Sed ex facto receptionis videtur tacitè promittere ſalvas fore res receptas *l. 1. §. 2. 3. 6. & ll. ſeqq. d. t. Add.* Dn. Carpz. *2. c. 26. def. 10.* Dn. Hahn *ad Weſenb. d. t. n. 5.* Ea propter nihil intereſt, 35
an tradantur Exercitori, an Magiſtro Navis, aut qui cuſtodiæ gratiâ præpoſiti ſunt navibus, ut dietarii *l. 1. §. 2. 3. 5.* Dn. Struv. *Ex. 8. th. 110.* Intelligitur enim Exercitor, dum hos huic officio præpoſuit, permitte re, ut merces recipiant, illatarumq́; cuſtodiam gerant, quoniam vix be- 36
ne cuſtodiet aliquis navem, ſi res in navem imiſſas curæ non habeat. Nec illud requiritur, ut præſens ſit, quando inferuntur merces, ſed ſufficit illatas eſſe *l. 1 §. ult. d. t.* idque alterum horum ſcire *arg. l. 3. §. 3. l. 1. §. 2. 3. 5. Magnif.* Dn, Bruñem. *rep Weſ. d. t. q 2.* Dn Carpz. *d. p. 2. C. 26. def. 10.* Licet enim præſumatur bonus Exercitor non ignorare, quid, quantumque, & à quo illatum ſit, tamen æquitatis ratio non admittit ignoran- 37
tem obligari, ſive ex vero, ſive ex quaſi Contractu, ne alterius non delinquentis conditio per aliũ fiat deterior contra *l. 2. ff. quod vi aut clam.* Baldus *in l. 1. §. ult. d. t.* Cum ſe hiſce incommodis, & hujus actioni periculo poſſit 38
liberare, ſi prædixerit, ſe nolle merces ſervare ſalvas, neque damnum præſtare & rerum Domini acquieverint *l. 7. pr. d. t. Magnif.* Dn. Bruñem. *d. loc. quæſt. 3.* Ant. Faber *rational. in l. 1. §. ult. ff. n. c. ſt.* Quomodo autem earum rerum cuſtodiam per prædictionem evitare poteſt, quas illatas eſſe ignorat? Planè exercitor ex remigum, aut meſonautarum receptione ſine

ſine mandato non tenetur *l. 1.§. 2. q. 5. d. t.* quia non recepit verè, nec interpretativè. Satis eſt, per ſe vel per navis Magiſtrum (Cujus officium eſt generale) obligari Dn. Struv. *d. ex. 8. th. 110.*

Experiri itaque hâc actione poteſt is, qui res ſuas vel merces in navim
39 intulit. *l. 1, §. 1. d. t.* contra exercitorem Dn. Struv. *d. ex th. 109.* licet gratis navigaverit *l. 6. d. t.* Alioquin deciperetur, ſi ob gratuitam navigationem minus de damno injuriâ dato agere ex hoc edicto poſſet *l. 17. §. ſicut. 3. ff. commodat.* nec ulla negandæ actionis ratio eſt, cum non mercedis ſolu-
40 tio det ei actionem, ſed factum Nautæ. Et quoniam nihil niſi rei perſecutionem continet, quamvis durior ſit, tam heredi *arg. l. 3. §. 4. d. t.* quàm in heredem & perpetuò datur *d. lex. 3. Magnif.* Dn. Brunnem. *quæſt. 10. d. t.*
41 Actori vero incumbit probatio earum rerum, quas amiſſas petit Dn.
42 Struv. *d. loc.* Unde ſi mercator farcinulas ſignatas cuſtodiæ ejus commiſerit, & apertæ reſtituantur, nec conſtet, an conveniatur ex facto ſuo, vel ex quaſi maleficio ſc. ex alterius facto, probare plenè debet, quænam illæ res fuerint in ſarcinulâ *l. 1. §. 41. ff. depoſit.* Gothofr. *h. loc.* Bartol. *in l. un. ff. furti adv. N. C. ſt.* Quando verò doli arguitur, in litem contra eum
43 juratur *l. 5. ff. de in litem jurando arg. d. l. 1. §. 26. ff. depoſ.* & Bald. *ibid.* Dn. Struv. *d. ex th 109.* Cæterũ ſi filius familias vel ſervus interveniente vo-
44 luntate Patris vel Domini receperit, exercitor tenetur in ſolidum, non tam ex facto filiifamilias, vel ſervi, quàm ex proprio, videtur enim is non tam cum filio aut ſervo, quàm cum Patre aut Domino contraxiſſe, qui non niſi ex Patris voluntate cum filio familias, vel ſervo contrahere voluit *l. 3. d. t.* Stypman. *de Jure marit. & naut. p. 3. c. 5. n. 285.*

Inſuper vectoribus eorumq; hæredibus *l. ult. §. 1. & ult. h. t* alterâ quoq;
45 actione in factum prætoriâ, quæ in perſonam eſt contra exercitorem *l. 6. §. 3. l. fin. d. t.* conſulitur Baldus *in rubricâ ff. n. c. ſt.* ſi ſc. damnum datum, aut furtum factum ſit in navi à familiâ Exercitoris *l. pen. §. ult. ff. d. t. l. 5. §. ult.*
46 *ff. de oblig. & action.* Sin hujusmodi delicta commiſſa à vectoribus, non tenetur *d. l. 6. §. 2. & 3.* quia culpæ reus non eſt, cum vectores eligere ſibi non videatur *arg. l. unic. §. ult. ff. furti adv. n. c ſt. Magn.* Dn. Bunnem. *rep. Weſenb. h. t, qu. 9.* hic autem ſibi imputare debet, qui minus fideles & negligentes nautas adhibuerit *d. l ult. §. 4. d. l. ult. 5. §. ff. de O. & A. § ult. Inſtit. de oblig. quæ quaſi ex delicto add. l. 1. §. pen. ff. de publ. & vect. l. ſi ſervus ſervit 27. §. 11. ff. ad L. Aquil. l. utique 16. §. 1. ff. de rei vind.* Ideoque ex quaſi maleficio eſſe dicitur hæc actio, quia, non tenetur ex contractu vel quaſi. Ant. Faber *ration. in d. l. 6. §. 3.* Vinnius *in d. §. ult. Inſt. quæ ex q. del.* Dn. Struv. *d.*

Ex

Ex.th.113.& ſi plures unam eandemque navim exerceant contra unũquemq; pro parte exercitionis datur *l. fin.*§. *5.d.t.*Struv.*d.Ex.th.115.*non datur inhæredem, quia Pœnalis eſt in duplũ *d.l.7.*§. *6.Magn.*Dn.Brunn. *rep.Weſenb. qu.10.d.t.*contra regulam tamen *l.35.ff. de O.& A.* eſt perpetua *per l. ult.*§.*6. ff.n.c.ſt.* Dn. Strv. *d.l. conſ.* Ant. Faber *rational. in d. l. ult.*§.*ult.*Cæterum hodie pœnam hanc dupli exoleviſſe tradunt Vinnius *in d.* §. *ult. Inſt. de obl. qua ex q. del.* Chriſtin. *5. dec. belg. 65. n. 21.* Grœnewegen *de leg. abrog. ff. furti adverſ. n. c. ſt.* Schultz. *&. Cyprian.* Regner. *in* §. *ult. d. t.*Simon van Leuwen *cenſ. for. c. 30. n. 3. in fin.* 47 48

Non vero hiſce actionibus honorariis perimuntur ordinariæ ſc. actio furti,& actio ex L.*A*quiliâ,ſed concurrunt cum illis,ita ut ſi cum Exercitore alterutra illarum Prætoriarum actum fuerit, altera actio furti vel Leg.Aquil. non quidem tollatur ipſo jure *Magn.* D.Brunn.*qu. ult.ff.n.c ſt.* Sed vel officio judicis, vel exceptione doli *l. 3.* §. *fin. ff.d.t.* Quoniam jus agentis confluit in conventum,nam eo ipſo, quo eligitur exercitor,qui quaſi deliquit,furem dimitti videtur,qui verè deliquit,&vice verſâ.Hæ enim actiones ſibi quaſi contrariæ ſunt, quarũ altera alteram ſuâ naturâ excludit,dum non adverſus unum, ſed planè diverſos dantur & verè concurſus dici nequit, ut meritò conſumantur inter ſe naturâ ſua non propter rem judicatam, ſed propter electionem §. *16. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc. l. 1, C. de furt.* ne de ejusdem hominis admiſſo,& delicto ſæpius quæratur contra *l.6.*§.*ult.ff.n.c.ſt.l.*§. *19.ff.de tribut.act.*alias vulgaris regula obtinet, actio furti ſi concurrat cum rei perſecutoria, neutram alteram tollere vel ipſo jure, vel ope exceptionis,quia ex diverſis oriuntur cauſis, quando dantur ratione ejusdem delicti plures *l.54* §. *3. ff.de furtis.* Quamvis etiam interdum ſæpius de uno facto agatur, licet reus ſemel condemnatus fuerit, tamen hoc non procedit in noſtro caſu,quoniam eſt delictum privatum, quod non intereſſe privati, &vindictam publicam ſimul. ut actio civilis, & criminalis perſequitur *l. un. C.quand. civil. crimin. præjud. conſ.* Dn. Struv *d. Exerc. 8. th. ult.* 49

Hæc itaque de actionibus, quæ ex debitis ratione muneris ſuſcepti deſcendunt.Ex contractu, vel conventione conveniuntur pro extruendâ, vel reficiendâ navi,nec non pro pecuniâ creditâ fabricandæ, inſtruendæ reficiendæ,armandæ,vel emendæ navis cauſa *l.26.l 34 ff. de reb. auth. jud. poſſid.* Apud Hollandos talis pecunia credita in inſtrumentum redacta dicitur den Bylbrieff, ende ſulcken Brieffgaet vor Bodmerie-Brieff,teſte Joh.Marquard.*de jur Mercat. lib. 2, c. 5. n. 22, & c 8. n. 80.* Hæc 50

pecunia privilegiata eit,ita tamen ut creditores chirographariis tantum anteferantur, quia tacita in eâ nave hypotheca creditoribus non introducitur Treutler. *vol. 2. disp. 1. th. 4. lit. E. vid.* Marquard. *de Jure Merc. lib. 2. c. 5. n. 25.* Si vero ſibi de hypotheca expreſſa proſpexerint, omnes hypothecarios etiam antiquiores præcedunt per *l. 7. C. qui potiores in in pign.* Baldus *ad d. l. 26. & 34. l. quamvis 17. C. de pign. l ſi ex eâ pecuniâ 6. C. de rei vindic. l. procuratoris § planè 17. de tribut. act. l. quidam fundum 16. in fin. ff. de in rem verſo Magnif.* Dn. Brunnem. *repet. Weſenb. ad ff. de priv. Credit qu. 17.* Dn. Struv. *Ex. 44. th. 47.* Neguſantius *de pign. membr. 2. part. 2. n. 13.* & *membr. c. 5. n. 3. & 4.* Et hæc ſententia confirmatur etiam ex eo, quia ſpeciali vel ſingulari jure cautum eſt, quod pupilli, minores, mulieres in rebus pecuniâ ſuâ coemptis pignoris, vel potius jus dominii habeant *l. 3. C. arbit. tut. l ſi ut proponis 8. C. de rei vindic. l. uxor. 55. ff. de donat. inter virum, & uxorem l. res quæ 54. ff. de jure dot. l. ex pecuniæ 12. C. eod.* Atque hæ, & ſimiles exceptiones confirmant regulam in caſibus non exceptis Decius *in l. 1. n. 12. ff. de R. Jur.* Accurſius *in l quod quis 18. in verb. ob navem venditam in fin. de privil. Credit.* Sichard. *in l. licet n. 8. C. qui potiores in pignor.* Vanderanus *de privil. credit c. 8.* Cujac. *ad Novel 97. Nov 136.* Donell. *in tract. de pign. c. 4. in fin.* Quod poteſt aliquis etiam admittere, ſi in cibaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus navis ſalva pervenire non poterat *l. 6. ff. qui potior. in pignor. habentur. confer.* Benev. Straccha de naut *part 5. c. 7.*

Non minus tenetur in ſolidum exercitor ex contractu à Magiſtro navis geſto §. *2. Inſt. quod cum eo qui in alien. poteſt.* Nam exercitor ſemper eo
51 animo eſſe intelligitur, ut velit in eâ adminiſtratione factum præpoſiti præſtare ne contrahentes, qui proponentis magis quàm præpoſiti fidem ſequuntur, decipiantur, eſtq; hoc æquiſſimum. ut quorum ex contractu commoda publicè percipimus, eorum quoq; in eâdem cauſâ facta agnoſcamus *l. 1. pr. §. 2. & 4. ff de exerc. actione l. 1. de inſtitor. act.* Quanquam Stricto jure adverſus alium, cum quo revera contractum eſt, non detur actio §. *11. Inſt. de action. l. 1. C. ne uxor pro marit. l. 1. C. ne fil. pro patre l. pen. C. quod cum eo qui in alien. poteſt.* Prætor tamen æquitate motus exercitoriam hanc actionem, quæ perpetua eſt *l. 4. §. fin. ff. de exerc. act.*
52 contra exercitorem introduxit, ne deciperentur contrahentes cum præpoſitis, quibus ignaris interdum, cujus ſint conditionis, tempus, locus propter navigandi neceſſitatem non concedit in eorum qualitates inquirere *l. 1. pr. ff. de exer. action.* Ut autem hæc actio utiliter competat, re-
53 quiri-

quiritur primo: quod ſit contractum cum Magiſtro navis, non cum nautis, ex quorum delictis tantùm in navi commiſſis exercitor dupli in factum actione tenetur *l. fin. ff. n. c. ſt.* Secundò ut cum Magiſtro civili actione ordinariâ non ſit actum, eſt enim actio rei perſecutoria, ideo ſi cum Magiſtro actum eſt, cum exercitore ob unam eandemque cauſam agi non poteſt. Tertiò, ut lex & forma præpoſitionis diligenter ſit obſervata cujus exceſſus eatenus non obligat exercitorem *l. 1. §. 7. 12. l. fin. de exercit. action. l. 11. §. 5. ff de inſtit. action.* Marquard. *de jure merc. lib. 1. c. 8. n. 29* adeoqve ipſum genus negotiationis mandatæ diligenter expendendum, & perſona ejus, cum quo contrahitur examinanda *l. ult. §. 1. d. t. l. 19. ff. de reg. Jur.* Coſtal *in l. 5. §. non tamen ff. de inſtit. action.* niſi incidenter, & per conſequentiam rei principalis lege præpoſitionis ea comprehendatur *Magnif.* Dn. Brunnem. *repet. Weſenb. quæſt. ult. ff. de exercit. act.* Unde ſi v. gr. Magiſter miſſus ſit ad conducendum officiales, & mutuatus eſt pecuniam in navem reficiendam ad deducendos hoſce ad locum deſtinatum, actio comperit *d. l. 1. §. 8. & 11.* Imaginari enim debebat refectionem, ſecundum tritum illud ſermone proverbium: *Negotium habere qui velit, uxorem aut navem ſibi comparato: in his enim ſemper aliquid reſarciendam inveniet.* Nec adſtringetur Creditor, ut probet, pecuniam in refectionem navis eſſe erogatam *l. ult. pr d. t.* Modo hæcce qninque adſint requiſita, quæ exigit JCtus in *d. l. ult.* Ut (1) ſciat in hoc ſe credere, cui rei Magiſter quis ſit præpoſitus. (2) Ut navis indigeat refectione, (3) ſi ea Lege credita, & eadem accepta, ut impenderetur in navem. Unde mox mutatâ voluntate Magiſtri æquè tenebitur Exercitor ac ſi in utilitatem navis vertiſſet imputaturus ſibi, cur talem præpoſuerit *d. l. 1. §. 9.* Joh. Marquard *de jure Mercat. lib. 2. c. 5. n. 27.* (4) Ut non majorem ſummam crediderit, quàm ſufficeret refectioni navis. Hoc tamen cum grano ſalis erit accipiendum ſcilicet ſi Creditor non deceptus ſit in pretiis rerū emendarum à magiſtro: tunc enim exercitoris erit damnum, non creditoris §. *10. d t.* denique (5.) ut illud fiat loco, & tempore, ubi id, propter quod pecunia creditur, comparari poteſt *l. ult. §. 1. ff. de exerc. act.* Treutler *vol. diſp. 24. th. 6. lit. J.* Si igitur quodlibet horum defecerit, ceſſat actio exercitoria propter tacitum mandatum factum à Domino Magiſtro. Quoties enim lex vel ſtatutum plura conjunctim requirit, non ſufficit alterum horum fieri, ſed omnia impleri neceſſe eſt *text. in l. 29. ff. de verb. obligat.* In Præpoſitum vero, ſi liber fuerit, actio competit *d. l. 1. §. 17.* quæ ſecundum cujusq; contractus, cum illo initi, naturam venit,

54 Tandem ex conventione Nautâ conveniri contingit de nautico fœnore, quod pro pecuniâ trajectitiâ ex ſtipulatione, vel pacto nudo debetur *l. 5. in fin. l. 7 ff. de nautico fœnor.* Weſenb. *h. t.* Dn. Struv. *Ex. 27. th. 72 cum allegatis ibidem.* Pollux *lib. 8.* nautici fœnoris duo genera ponit, hetero-
55 plum & amphoteroplum. Heteroplum eſt, cum commeatus tantum periculum fœnerator ſuſcipit. *A*mphoteroplum cum remeatus quoque; veluti ſi negotiator Hamburgi pecuniam acciperet reddendam *A*mſtelodami Calvinus *lex. jurid. voc. nauticum fœnus.* Steinhauſen *comment. ff. de nautico fœnore n. 2.* Ioh. Marquard. *de jur. mercat. lib. 2. c. 8. n. 82.* jure
56 Canonico quoque permiſſum, quippe nihil vitii in ſe habet. Zœſius *comment. ff. & C. de naut. fœnore* Petrus Santerna *d. Aſſecurat. & ſponſ. mercat. part. 1. n. 9 & 10.* & extenditur usque ad uſuras centeſimas *Nov. 110. junct.*
57 *l. 26. C. de uſur.* idque in quandam compenſationem periculi, tanto pretio
58 æſtimabilis, creditæ pecuniæ trans mare vehendæ quod mutuans in ſe ſuſcipit *l. 1. C. de naut. fœnor.* Matth. Stephani *in Nov. 106. n. 4* Zœſ *ad ff. & C. de uſur. qu. 2. & tit. de fœn naut.* adeoque nave intra præſtitutos dies vel antequam ad deſtinatum locum navis perveniat, amiſsâ, nihil redditur Creditori, eâ vero ſalvâ, ſortem cum certis uſuris recipit *l. 7 & 8. ff. d. t. l. 1. & fin. C. eod.* Dn. Struv. *d. th. 73.* Zœſius *d. loc.* ne tamen debitori 30. dies ex humanitate Imperatoris juſtiniani indulti in *d. Nov. 106.* conquirendæ, & ſolvendæ pecuniæ cauſa denegentur intra quos curſum uſurarum ſiſti tradit Cujacius *l. 27. obſ. 37.* hancque Novellam non videri, quoad hoſce 30. dies abrogatam, nec currere poſt hoſce dies uſuras nauticas, ſed verti in mediterraneas *per l. 1. & 2. C. d. t.* quoniam periculum mutuantis eſſe deſiit. *l. 4. pr. & l. 6. ff. d. t. l. 1. C. eod.*
59 Similiter Mercatores merces aſſecurationis clypeo contra ſævam fortunam tueri ac defendere conſueverũt. Eſt autem aſſecuratio contractus nominatus juris gentium conſenſu conſtans, quo id agitur, ut quis incertum periculum mercium, certo pretio, à peritis vel ipſis contrahentibus æſtimatarũ aliò transvehendarum pro conſtituto præmio ſuſcipiat *Excell.* Dn. D. Rhetius *Præcept. meus venerand diſp. de Verſura c. 4. th. 3.* Et licet pretiũ initio non ſit datum, tamen regulariter pœnitentiæ non eſt locus. Oritur inde actio quæ dicitur aſſecuratoria, vel ſecundum *Excell.*
60 Dn. Rhetium actio averſi periculi, quod quidam contractum averſi periculi nominaverunt *ut* Hug. Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 12. n. 3. in fin.* Quæ utrique & Aſſecurato, & *A*ſſecuranti competit. Ille agit ad æſtimationem mercium aſſecuratarum, ac ſumptuum inſuper factorum refu-

sionem, si casu fortuito perierint. E transverso hic tenetur ad præmium solvendum cum interesse, & damno liquidato *vid. Excell.* Dn. Rhetius *d. disp. c. 4. th. 8.* ubi eleganter habet quo tempore assecuratus agere valeat, quomodo casum probare debeat, & libellus formandus sit *conf.* Johann. Marquard. *de jure mercat. lib 2. c. 13. n. 71 & seqq.* Et hæc actio contra assecuratū datur, etiamsi merces in illa navi non extiterint, super quâ contractum hunc inierunt, idque in favorem assecurantis, & præjudicium assecurati falsa asserentis *l. 26. ff. de act. empt. & vend. arg. l. 13. §. Item Julianus 6. ff. d. tit.* Joh. Marquard *d. tract. de jur. Mercat lib. 2. c. 13. n. 30. & seqq.* quia pecunia datur ratione periculi, si igitur periculum ideo, quod Mercator merces in illâ conventâ navi non habuit, accidere non potuit, tamen videtur hoc tacite agi, ut de hoc periculi pretio teneatur, & imputetur illi, qui mentitur, & decipit contrahentem, facit *l. 13. §. 4 & 6. ff. de act. empt. & vend.* Si vero extra mercium vitium quid contigit, vel neutri parti potest imputari conditionis defectus, ut si combusta sit navis in portu vel destructa, vel Rex aut princeps eam, antequam navis de portu enavigaret, pro suis necessitatibus, & publicis assumant, juxta notab. *l. 10. C. de SS. Eccles.* nullius alteri obstrictus est per *l. 3. ff. de hered. & action. vend.* & sic præmium in antecessum datum condici potest, quasi causa non sequta Santerna *in tract. de Sponsi. mercat. p. 3. num. 20. & 28.* Marquard. *de jure mercat. lib 2 c. 13 n. 36.*

Sed quid si in ostio portus trajiciuntur merces in scapham, an si pereant merces in scaphâ prædictâ, tenetur assecurator? Literæ, sive apochæ assecurationis, quas Pollices nominant mercatores, Ioh. Marquard, *de jur. mercat. lib. 2. c. 13. n. 28* inspiciendæ sunt per *l. 52. ff. de verb. obligat.* nam si periculum in se receperit eousque merces in terrâ expositæ fuerint, tunc jactura, & casus in scaphâ contingens debet perinde judicari, ac si contigisset in navi *l. 4. ff. de L Rhod. de jact.* exonerandæ enim navis causa in scapham translatæ sunt, sine quâ merces in terram deferri nequeunt: Sin ita, usque navis salva, atque secura ad portum appulsa sit, omne periculum cessat, quia hoc casu appellatione navis non venit scapha *l. fin. ff. de instruct. vel instrum. legat. add. l. 13. §. 1. ff. locat.* Santerna *de sponsi. d. p. 3. n. 37. & 38.* 61

Coronidis loco sit: Beneficium *l. 2. C. de rescindend. vend.* in hoc con- 62
tractus locum sibi non vindicare. Cum assecurator sciens suscipiat rei 63
periculum, & spem emere videatur, ut non possit dici lædi per tradita Santernæ *de sponsi. merc. p. 5. n. 2. & 4.* Dicta autem Lex non habet locum

inter

inter ſcientes, & ſcienti non ſit dolus per *reg. 27. de reg. Jur. lib. 6. l. 143. ff. eod.* Azo. *in ſummâ C. de reſcind. vendit.* Covarruv. *2. var. reſol. 40. n. 2.* Peck *in d. c. ſcienti 27. n. 3. de R. J. lib. 6.* Bachovius *in treutlerum vol. 2. diſput. 2. th. 10. lit. E.* licet fraudandi animum alter habuerit *Magnif.* Dn. Brunnem. *ad d. c. 27. de reg. Jur. lib. 6.*

CAPUT V.

De Delicto circa rem nauticam.

SUMMARIA.

1. *Connexio.*
2. Delicta nautica *duplicis generis.*
3. *Recenſentur publica delicta quat.*
4. *Quintum delictum nauticum publicum.*
5. *Quanam pœna eorum, qui ex naufragiis lucrum captant?*
6. An nobilis mitiùs puniendus *quàm plebejus?*
7. Conſiderandũ in irroganda pœna, *ut cuilibet delinquenti inferatur juſta & delicto conveniens?*
8. *Ad quid teneatur, qui ex naufragio clavos, vel unum ex his abſtulerit?*
9. *Pœna nautas ſpoliantium.*
10. *Quinam rei nauticæ uſum impediant?*
11. *Fluminum & riparum nomine duo interdicta ſunt propoſita.*
12. *1. Prohibitorium.*
13. *2. Reſtitutorium.*
14. *An* molendinum *in flumine non navigabili exſtruere liceat?*
15. *Delicta adhuc varia nautica.*
16. Actio oneris averſi *contra nautas etiam intentatur.*
17. *Nautæ quando* culpæ *argui poſſint?*
18. *Actio* legis aquil. *contra nautas quando detur?*
19. Contumacia *nauclerorũ conſiſtit in omiſſione demiſſionis velorum.*
20. *Finis hujus demiſſionis duplex.*
21. *Pœna omiſſionis.*
22. *Lis hac de re armis agitata inter Belgas & Anglos.*

1 PErfecto debito Nautico, reſtat modo videre de delictis contra rem nauticam, vel à Nautis dolo, aut culpâ commiſſis. Prioris generis ſunt vel publica, vel privata. Inter pu-
2 blica primum eſt Crimen læſæ Majeſtatis, quod committitur, ſi quis na-
3 vem vel claſſem hoſtibus prodit, vel prodere cogitat *l. 5. &. 6. C. ad Leg. Juliam*

Juliam Majest. (II) Lege Juliâ de vi publica tenetur, qui arma, tela domi suæ præter usum navigationis coegerit *l. 1. ff. ad L. Jul. de vi public.* (III.) Qui hominibus armatis possessorem navi suâ dejeceritvel eam expugnaverit *l. 3. in fin. ff. d. t.* Damnati de vi publicâ deportantur §. *8. Inst de publ. Jud.* Ulpianus *l. 10. §. ult. ad leg. Jul. de vi publ.* ait, aquâ & igni his interdici, sed notum est, huic pœnæ deportationem succesisse (IV) Qui pravitatem exercent piraticam *l. 2 §. 3. de L. Rhod. de jactu l. 19. §. 2. ff. de capt. & postlim.*

(V.) Ad publicum rei maritimæ incommodum delinquunt, qui Barbaris conficiendi naves incognitam ante peritiam tradunt, aut eos 4
navibus instruunt, quorum pœna est ultimum supplicium *l. 25. C. pœnis.* Sicuti loricas, scuta, arcus, sagittas, spathas, gladios, veruta, hastas, cassides, missilia, tormenta bellica majora, & minora, vel quæ eo spectant, vendendi, aut ad eos deferendi, ne instructi armis validiores reddantur, inhibita est licentia sub discrimine fortunarum & capitis *l. 11. pr. ff. de public. & vectigal. l. 2. C. quæ res expert. non deb.* Gail. *de P P. lib. 1. c. 1. n. 41.* Straccha *de mercatura p. 4. n. 17.* Jure Canonico excommunicatio decernitur & servi fiunt capientium Joh. Marquard. *de jure Mercat lib. 1. c. 16. n. 27. in fin. c. ita quorundam C. significavit c. quod olim c. ad liberandum X. de Judæis.* Hodie pœnam docentium barbaros artem extruendi naves cessare scribit sæpe citatus Marquard. *lib. 2. c. 1. n. 63.*

(VI.) Qui ex naufragiis lucrum captant, contra quos mandata si- 5
ne clausulâ decernuntur Gail *lib. 1. observ. 18. n. 6.* datur actio in quadruplum intra annum utilem, post annum in simplum *l. 1. ff. de incend. ruin. nauf. l. 18. C. de furt.* & contra surripientes ex naufragio ut latrones proceditur *l. 7. ff. de incend.* si eo tempore, *l. 1.* & loro *l. 2.* quo naufragium sit, vel factum est quis rapuerit. Sin postquàm naufragium factum clanculũ rem in littore jacentem abstulerit, in eâ conditione est, ut magis fur sit nec manifestus, quàm edicto Prætoris teneatur *l. 3. ff. de incend. ruin. naufr. l. 1. de vi bonor. rapt.* Deinde plurimum interest, peritura collegerint, i. e. ejusmodi merces, quæ aquarum transmisione corrumpuntur, an quæ servari possint, flagitiosè invaserint. Ideoque si gravior præda vi adpetita videbitur: liberos fustibus cæsos in triennium relegari: aut si sordidiores sunt in opus publicum ejusdem temporis dari Divus Antonino rescripsit *l 4. ff. de incend.* Servos flagellis cœsos in metallum damnari. Si non magnæ pecuniæ res fuerint, liberos fustibus servos flagellis cæsos dimitti. Ex Friderici autem II. Imperatoris Constitutione

tutione tales improbi bonorum publicatione multantur *Auth. Navigia C. de furtis Magnif.* Dn. Brunn. *in repet. Weſenb. ad tit. de incend. ruin. naufrag. qu. 6.* Interdum etiam ſi res exegerit, eorum audaciam capitali pœna compeſcere Magiſtratus poteſt *per d. l. 4. §. 1. ff. de incend.* Farin.
6 *qu. 168.* ex qua lege & *l. ult eod. tit.* quæritur: Numnam Nobilis remiſſius ſit puniendus, quàm plebejus? Quod intrepidè negamus, ipſa enim delinquentis dignitas aliave perſonæ delinquentis qualitas nec auget, nec minuit delictum ipſum *l. 1. C. ubi Senator vel clarisſimi civ. vel crim.* Sed Judex ex delicti magnitudine, & meritis cauſæ, non perſonæ aut Majorum, lege tam divinâ quam humanâ ſtatuere jubetur, humanâ *l. 31. ff. ad l. Corn. de falſ. add. l. 11. pr. eod. l. 138. de reg. jur. text. in c. felicis recordationis in fin. de pœnis lib. 6. & in Auth. Omnes peregrini C. communia de Succeſſ.* Divinâ: Nec eripit juſtum defectionis ſuæ tempore juſtitia. Qvum avertens ſe juſtus à Juſtitia ſua facit iniquitatem ſecundũ abominationes improborum, hiccine viveret? Omnia juſta facta ejus non commemorabuntur propter prævaricationem ipſius, quà prævaricatur, & propter peccatum ipſius, quo peccat, propter hoc morietur. Apud Deum enim nulla eſt perſonarum differentia, ſed anima quæ peccavit, ipſa morietur, ut habetur *Deut. c. 18. 2. Regum c. 14. Ezech. c. 18.* Hoc illud eſt moderamen, illa proportio ad quam Deus diſtribuere juſtitiam vicarios ſuos in his terris jubet. Ea propter obſervanda eſt proportio Arithmetica in pœnis, ut nullus reſpectꝰ habeatur in puniendo. Namque pœnæ non diſtribuuntur, ut aliquid, quod commune eſt pluribus, ſed cuilibet delinquenti pro ſuo delicto conveniens irrogetur pœna. Deinde quemadmodum facta in ſe licita, contractus nimirũ corriguntur per proportionem Arithmeticam: Ita quoque hæc facta illicita. Ut au-
7 tem cuilibet delinquenti pro ſuo delicto conveniens, & eadem æſtimationis ratione irrogetur pœna, conſiderandum eſt (1.) tum ejus materiale, ſc. læſio ſeu damnum, ac injuria in hunc vel illum illata, quæ ratione objecti, vel auget, vel minuit delictum *l. 16. §. 3. ff. de pœnis.* tum formale, vitioſitas nimirum actus, atque ἀνομία, an dolus, vel culpa intervenerit, & delictum ex voluntate proceſſerit *l. 11. §. 2. ff. de pœn. l. 1. §. 3. ad leg. Cornel. de ſicar.* (2.) In infligendâ pœna perſonæ ratio habenda, cum perſonæ ſint inæqualis conditionis ne ſi ejusmodi pœna æqualiter diverſis imponatur perſonis, majorem pœnam ſuſtineat nobilis, quàm æqvum foret *l. 11. ff. de pœn. l. 22. C. eod.* & inde aliqua inæqualitas reſultet, e. g. Si perſona dives 100. aureis multaretur utique

que

que gravis, & inæqualis erit pœna reſpectu pauperis, Item fuſtigatio eſt pœna graviſſima Nobili, non ita gravis vili perſonæ. Sic propter ſenectutem minuitur pœna, quomodo in *l. 5. §. ignoſcitur 7. ff. ad Syllan;* ſcribitur, ignoſci ætate defectis & ætati ſuccurri dicitur *in l. 108. ff. de reg. Jur.* propter debilitatem corporis, quæ pœnam corporis afflictivam iis graviorem facit. Quod verò non procedit in delictis atrocioribus, ubi pœna mortis dictatur, æquali, & eadem pœnà nobilis & vilis afficiuntur, quia tunc differentia, ſeu conditio perſonæ diverſa non inducit diverſitatem in hâc pœnâ. præſertim ſi illa pœna jure divino morali ſtatuta ſit, hic enim, ſicut Principi diſpenſandi, ita & mitigandi facultas ademta.

(VII.) In rem nauticam delinqvunt, qui Clavos de navi, vel u- 8
num de his ſumpſerint, quos Accurſius exponit de gubernaculis clavo affixis, quorum pœna eſt, ut ratione omnium rerum teneantur *l. 3. fin. ff. de incend. ruin.* (IIX.) qui nautas ſpoliant, vel ab iis aliquid injuſtè 9
extorquent, aut qvocunque modo inquietant, cum quæcunque navis ex quolibet portu, ſeu littore, ſine ullâ indignatione & concuſſione dimittatur, ſi Naucleri earum deponant, in quam Provinciam ituri ſunt *l. unic. C. de littor. & itin. cuſtod.* Multa decem librarum auri proponitur *l. 3. C. de navicul.* vel qui in hujusmodi rapinis deprehenſus fuerit, pœnâ quadrupli tenetur *l. 5. eod.* Pœna vero viginti aureorum ſtatuitur iis, qui navem, nautamve plus juſto detinuerunt *l. 2. §. 2. & 3. ff. de Leg. Jul. de annonâ* Peculatum committit, qui pecuniam trajectitiam furatur *l. 9. §. 4 ff. ad L. Jul. pecul.*

Denique rei nauticæ uſum impediunt, qui navigandi conditio- 10
nem deteriorem faciunt, aut incommodant, facto, vel immiſſo aliquo in flumine publico, ſive ſit navigabile *l. 1. §. 12. ff fluminib.* ſive non *§. 15. & 18. l. 2 d.t.* ripâve ejus, quo portus, ſtatio, iterve navigii deterius fiat *l. 1. pr. §. 12. 17. d.t.* Et deterior Statio, itemque iter navigio fieri videtur, ſi uſus ejus corrumpatur, vel difficilior fiat aut minor, vel rarior, aut ſi in totum auferatur. Proinde ſive derivetur aqua ut exiguior facta minus ſit navigabilis: vel ſi dilatetur, aut diffuſa, brevem aquam faciat: vel contra ſic coanguſtetur, ut rapidius flumen faciat, vel ſi quid aliud fiat, quod navigationem incommodet, difficiliorem faciat, vel prorſus impediat *d. l. 1. §. 15.* Horum fluminum & riparum nomine duo pro- 11
poſita ſunt interdicta, ne ſtatio, vel iter Navigii hoc eſt navigatio impediatur *d. §. 15.* Quorum alterum eſt prohibitorium, quod datur 12

contra eum, qui publico flumine, vel mari aliquid molitur in hoc, ut caveat non fieri *d. l. 1. pr. & §. 20. vid.* Dn. Struv. *ad tit. de flumin. th. 87.* Alte-
13 rum est restitutorium, quo jubetur is restituere, si quid factum immissumve habeat quo statio, vel navigium deterius fiat. *d. l. 1. §. 19. & 20.* licet non ipse fecerit, vel immiserit *d. l. §. fin.* Si vero immissum nemini noceat, vel deteriorem littoris, marisve usum faciat, ut qui pilas in mare projecerit, tuendus est per *l. 2. §. 8. & l. 3. ff. ne quid in loco publico.* Exinde licet
14 in flumine privato, vel publico non navigabili ædificare molendinum novum ad utilitatem suam, quamvis alter in superiori vel inferiori parte fluminis molendinum habeat, & ita minus lucretur Hering *de molendinis quæst. 5. n. 39. per l. fluminum 24. § fin. ff. de damn. infect. l. Proculus 26. ff. eod. si in meo 21. ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ,* Gail. *lib. 2. obs. 69. n. 27.* Scheplitz *de consuet. March. p. 4. tit. 13. §. 1.* Cravetta *de antiquit. temp. part. 4. n. 27.* Modo non ad æmulationem ejus fiat *text. notab. in l. opus novum ff. de oper. publ. l. in summa 2. §. 9. ff. de aquâ, & aquæ pluv.* Hering. *dict. tract. qu. 15. n. 32. & 57.* & commodum naturale ipsi adimatur, si flumen fuerit publicum, & alterutra pars habeat in flumine molendinum licitè ædificatum *text. in l. 1. §. 12. & 13. ff. de aqua & aq pl. Magnif.* Dn. Brunnem. *repet. Wesenb. ff. ne quid in flum. publ. fiat, quo, quæst. 2.*

Posterioris generis sunt (1.) Si contra mandatum Principis navigetur,
15 ad quod coercendum vel pœna legis transgressoribus infligitur, vel arbitrio Principis relinquitur. Ab hâc autem pœnâ immunis est, qui post vetitum quidem tempus exportu profectus est, sed ante exierat, & tempestatâ obortâ in prædictum portum reductus erat per *l. 5. ff. de publ. & vect.* Rationes Bartolus assignat *in d l.* quod initium, ex quo egressus fuerat, sit considerandum, huc facit *l. damni 8. §. 11. ff. de damno infect. & l. ait 21. ff. ad Leg. Aquil. l. si procuratorem pr. ff. mand. l. si id quod §. si filius familias ff. pro socio.* Deinde casus fortuitus non debeat esse damno casum passo *l. fin. §. 1. ff. de L. Rhod. & l. quæ fortuitis C. de pign. act. & l. cum duobus §. damna ff. pro socio* nec finguntur venisse, quæ casu eveniunt *arg. l. ex facto 35 §. rerum pr. de hered. instituend* & quæ medio tempore contingunt, non videntur contigisse *l. 12 §. 5. ff. de capt. & postlim. revers.* (2.) Si quis merces illicitas navi imponat, cujus pœnam publicationem esse supra retulimus. (3) Si quis fiscales species suscepit deportandas, & rectâ navigatione contemptâ littora devia sectatus, eas avertendo distraxerit, capitalis pœna est in *l. 7. C. de navicul. 4.*) Si à nautis res in navem immissæ furto furripiantur *l. 1. pr. ff. furti adv. naut. caup. Stab.* quo de egi-

mus

mus etiam ſupra, ut ſupervacuum foret plura addere, niſi quis velit Actionem Oneris Averſi quoque intentari poſſe.

Adeò leges noſtræ curam agunt reprimendæ improbitatis hoc ge- 16
nus hominum, ut hanc qnoque actionem dederint adverſus nautas, quo conveniri poſſent pluribus actionibus *Vid.* Cujacius *7. obſ. 39.* Connanus *ad l. 31. ff. locat. lib. 7. c. 11.* Quanquam nihil proprium habeat à furto, ſed utraque ad eundem finem, & ejusdem pœnæ, ut fruſtrà hanc actionem dari quis arbitrari poſſit: Tamen is, qui avertit, non idem prorſus videtur diſtrahere, & contrectando ſibi habere. Et hic magis culpa, & fraus avertentis; quam verum furtum punitur. Unde id abſurdum ſæpe eveniret, quod actio furti daretur, ubi furtum commiſſum non eſſet; Siquidem quædam res locantur, quæ continuò conductoris fiunt, in quibus de culpâ aut fraude argui poteſt, veluti cum argentum Aurifici datur, ut vaſa conficiat, vel aurum, ut annulos, quo caſu non idem argentum vel aurum, ſed in ſimili re ejusdem generis ſolvi poteſt, quoniam argenti vel auri dominium translatum eſt in Aurificem, ſive conductorem, & mutuum quodam genere contrahitur in hoc, ut non idem, ſed tantundem reddatur *Vid.* Arnoldus ab Haerſold. *de actione Oneris averſi.* Hinc quæſitum eſt, cum plures in navem Saufeji frumentum confudiſſent, Saufejus vero uni ex his frumentum reddidiſſet de communi, & navis periiſſet; numne cæteri pro parte frumenti uni datâ adverſo nautam hanc actionem inſtituere poſſint? Et reſponſum eſt, non poſſe, quoniam non averſum eſt onus, cujus Dominus nauta fuerat *d. l. 31.* Bartolus *ibidem.* Secus ſi diſtinctis cellulis cujusvis frumentum collocatum. Hic enim Domino frumenti vindicatio, contra illum, qui accepit, datur, ut & actio oneris averſi contra nautam.

(5) Si merces impoſitæ dolo, vel culpâ nautarum pereant, vel deterio- 17
rentur *l. 3. 6. §. 1. ff. de rei vindicat.* Culpa autem multifariam in illis eſt, utpote (1) ſi vetito vel minus opportuno tempore navigaverint, idoneum autem tempus habebatur ex Kalendis Aprilis in diem Kalendarum Octobris *l. 3. C. de naufrag. l. 6. C. officio Rector. Provin.* (2.) Si adverſo tempore navigent *d. l. 36. ff. de rei vindic. l. 13. §. 1. ff. locat.* vel (3) poſt tempus conventum *l. 122. §. 1. ff. de verbor. obligat.* (4) Si cum proſperior flatus invitat ad navigandum, dimiſsâ navigatione ſine causâ in portu immorantur *l. fin. C. de navicul. l. 2. §. 8. ff ſi quis cautionibus in judicio ſiſtendi cauſ. fact.* (5) Si quis rectâ navigatione contemptâ, littora devia ſectatur *l. 7. C. de navicul. l. 3. C. de naut. fœnor.* (6) Si navem minus

nus integram esse contingat, & deinde merces deteriores redditæ sint *arg. l. 19. §. 1. ff. locat. l. 6. §. 4. ff. de act. empt. l. 27. eod.* Debet enim nauta, priusquam in portu solvat, navem præstare sartam tectam, bene eam stipare, & picare, quod verbo nautico Kalfatern à Græco καλεφάτειν vocant, ne rimis fatiscentibus unda perfluat. Joh. Marquard. *de Jur. Mercat. lib. 3. c. 4. n. 33.* Aut (7.) plus justo oneret *l. unic. C. ne quid oneri publ. lib. 11.* aut onus à privato imponi oneri publico patiatur, punitur enim casu fortuito subsecuto, quia nullū jus habuit ad recipienda onera privata, sed solum vehendi species publicas. Nec privatus impunè fert, quia consensus nautæ super re prohibitâ illum exonerare nequit *l. qui Romæ 122. §. 1. ff. de verbor. obligat.* Et ita judicatum in Senatu Mechlinensi tradit Christinæus *ad tit. ne quid oner. decis. 63. n. 21.* (8) Si navem minus idoneis hominibus commiserint *l. 16. §. 1. ff. de rei vind. l. 27. §. 9. & 11. ff. ad. Leg. Aquil. l. 21. §. 3. ff. de negot. gest.* (9.) Culpæ etiam annumeratur, qui imperitiâ ad scopulos navem appulerit, fregerit, & propterea merces perierint, vel deteriores factæ sint *l. 6. §. 7. ff. de officio Præsidis §. 7. Inst. ad L. Aquil. l. 132. ff. de Regul. Juris.* (10.) Si mures merces roserint, ubi felem in navi non alit *arg. l. 13. §. 16. ff. de locat.* Ultimò tenetur nauta ex eo quod non providerit id, quod à diligenti fuisset provisum in *l. 31. ff. ad L. Aquil. Conf.* Benev. Straccha *de naut. part. 3.*

18 Denique si (6) navis alteram contra se venientem obruerit, vel quolibet modo læserit. Actio damni injuriæ in Dominum & nautas competit per notabilem *l. 29. §. 2. & 4. ff. ad L. Aquil.* Imputandum est enim ei, qui non regit navem ut debet, & ut potest. Sed si funere rupto aut cum à nullo regeretur, navis incurrisset, neque cum Domino, neque cum Nautis agendum est quippe culpa abest *d. §. 2.* nec propriè dici potest, navem deliquisse, aut damnum dedisse, quæ sensu caret *l. 1. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dic.* utputa si ortâ adversâ tempestate gubernaculum fractum, & amissum est, quo temperari solet. Aliàs si navis in flumen, aut in mare sine Gubernatore immittitur & incurrendo aliam obruit, in Dominum datur actio *arg. l. 13. §. 2. ff. locat.* Plura vide apud Johann. Marquard. *d. tract. lib. 3. c. 3. n. 36.* & Straccham *tract. de Naut. num. 43. 44.*

19 Clausulam Disputationi imponat Contumacia nauclerorum. Quæ
20 consistit in omissione demissionis velorum das Seegel streichen. Finis hujus submissionis est duplex, vel salutandi, ubi superior pars mali submittitur;

mittitur: Daß im Mittel Mast die oberste Flagge wann man gegen die Königliche Flotte, schiffen, oder ein Königl. Castel komt, ein wenig herunter gelassen, und alsobalden wieder aufgezogen wird, ejus exemplum est apud Sleidanum lib. 22. hist. vel imperii exercendi wann das Topsegel halb herniedergelassen, und nicht eher, biß man einen Canonschuß weit in die See ist, wieder aufgezogen wird, dafern die Schiffer nicht wollen pro contumacia einen jeden Schuß der nach ihnen geschicht, mit einem Rosenobel lösen, Stypman. *p. 5. c. 1. n. 21.* Mar- 21
quard. *d. tr. lib. 2. c. 5. n. 42. & 43.* Dn. Strauch. *de Imperio maris c. 6. §. 1.* 22
quæ lis armis agitata inter Belgas & Anglos; Obtinuerunt tamen hi per Pacis Articulos hanc à Belgis venerationem. Hæc pro ratione instituti sufficiant.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Stryk, Samuel,

Disp. ... de iure navium

Francofurtum ad Viadrum 1718
4 Diss. 2427#Beibd.11
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10836772-5
VD18 15193713-001